Dedicatio.

Viro reverendissimo et colendissimo D. MATTHEO MEAD, Verbi Divini Concionatori fidelissimo efficacissimoq;.

UT ET

Viris amplissimis spectatissimisq;

D. THOMÆ SHEPARD,
D. DORMERO SHEPARD,
D. JACOBO BALL,
D MATTHEO RAPER,
D. GEORGIO BODINGTON,
Londini Mercatoribus justissimis, civibus dignissimis.

Cæterisq; Mæcenatibus, meis Gratiosissimis, ad rogum usq; religiose colendis.

Viri Reverendissimi Amplissimiq;,

JAM *Septimus incepit Annus ex quo, summo magni Dei bo-*

niq; Rerum Domini beneficio, veſtra vera Ope & Liberalitate Literis Operam dare Facultas mihi conceſſa eſt. Literæ vero cùm ſaniores omnes Mentem excolant, Mores componant, & quò facilius inter Homines & felicius verſemur, omniq; Fortuna melius fruamur, inſtructos reddant, maxima humanæ Vitæ commoda & Solatia merito habentur: At vero qui ſacris Literis & Theologiæ incumbit,

Dei

Dei Cognitioni, omnis Sapientiæ, Virtutis & Felicitatis Radici acquirendæ Tempus elocat, Mentem æternæ Veritatis principiis, æternæ Beatiudinis & εὐζωίας affectibus, imbuere ſtudet, Cœli alumnus & candidatus Jure audit. Nec majus mortali confertur bonum, nec ſortius ad Gratitudinem præſtandam tenetur quis quam qui hac in parte debet. Et ſummis optandum eſſet votis hunc unicum dari

Studii Theologici ſcopum, hunc finem, ut Ratione pura, Mente caſta piaq; Cœli Symbola & Oracula contemplantes, Dei Myſtæ meliores digniores reddamur. Sed, quod ſine Dolore meminiſſe nefas, alius eſt Res ſacras tractandi Animus, aliud propoſitum lapſo Hominum generi notum magis gratumq;. Ingenio indulgere, nova moliri Moribus ſervire, & ſanctiſſima Myſteria, ſpreto & invito Numine, dubiis vexare

vexare nimium multis in More ſemper fuit: & omnia fere Fidei noſtræ ſacra magis Capita ſuos experta ſunt Adverſarios: à quibus Veritas non niſi Studio & Labore vindicatur: Quo tamen paulum detrito prius ad Eccleſiarum ordines & jura, & quæ illuc ſpectant Controverſias Animum adhibere fas eſt.

Mihi ergo cogitanti quo indicio, quales quales meos, ulti-

mo

no hoc, post quinque (præter propter) in illustri Academia Trajectina exactos, Anno, Viri Doctissimi Amicissimiq; D. Lobb, sub auspiciis, & in loco Studiis adeo commodo, profectus Vobis probarem, nihil ad id aptius apud Animum meum versabatur quàm Dissertatio hæc, quam vestræ Liberalitatis Testem jam in Lucem edo; Gratitudinis meæ Tesseram Vobis offero; & ut benigno accipiatis vul-

tu

tu humilimè peto. Quæ eas explicandas ſibi proponit Veritates quæ omnem Relìgionem (qualis miſero Peccatori afflictæq; Conſcientiæ ſeſe approbat) ſecum ferunt trahuntq; Eoſq; ſolos pro Adverſariis habet qui has vel negant, vel diſſimulant corrumpantq;. Vobis proſperos Annos, Eccleſiæ felicem magis ſtatum ex Animo precatur.

Veſtris Nominibus

deditiſſimus

Guliel. Nokeſius.

ERRATA.

Pag. 18. l. 15. *lege* propius: P. 20. l. 2. *ab ult. leg.* dixiſſent: P. 29 l. 15. *lege* repetenda: P. 30. l. 7. *lege* rectæ; & l. 13. *lege* σχέσει: P. 31. l. 4. *lege* patefacta; & l. 3. *ab. ult. lege* ἐμφύ]Θ. P. 38. l. 18. *lege* viribus: P. 59. l. 21. *lege* aſſerit: P. 61 l. 4. *lege* implere: P. 62. l. 13. *lege* Evangelicam: P. 74. l. 19. *lege* clarioris aut minus claræ: P. 77. l. 5. *ab ult. lege* noſtræ; & l. 3. *ab ult. lege* nobis: P. 84. l. 2. *lege* Vicariam licet & a pura Voluntate: P. 85. l. 14. *lege* malum; & l. 15. *lege* debitam: P. 85 l. 19. *lege* Acta. P. 86. l. 12. *lege* ſecundum: P. 90. l. 12. *lege* adſeſſi: P. 90. l. 20. *lege* qui: P. 93. l. 7. *lege* prædeſtinari.

DISSER-

DISSERTATIO
DE LEGE
SOCINIANIS
ET
Arminianis Oppoſita.

I. NAturæ noſtræ Dignitatem, primævamq; ejus Sapientiam pro Viribus vindicandam, cum illâ ortæ natæq; nec niſi cum illa tollendæ abrogandæve *Legis*, qua Deo conſociati fuimus, Veritatem & Præſtantiam, cum bono Deo, tuendam ſuſcipimus. A quâ Dignitate licet excidimus, cuiq; *Legi* obnoxii licet ſimus, eam tamen accurate tenere multum præſtabit uſum: & niſi

degeneres geramus Animos pristinæ Felicitatis immemores, ejusq; recuperandæ spe abjecta Terrenis deditos addictosq; eam contemplari juvabit: Ejus *Naturam* et Rationem quo felicius enarremus, explicemusq; omnino digni sunt ut de ea consulantur, queis hac solâ vitæ duce uti, ad hanc unicam recti praviq; normam se componere datum fuit, seu potius qui ex deformatâ specie & tantum non deletis vestigiis de nativa formâ & venustate conjecturas non insicite tulerunt. Ex *Illorum* ergo *mente* de ea primò Verba faciemus, ex *Eorum scriptis* aliqua delibantes. Et *Legem* in Deo æternam, ejus in Naturâ rationali exscriptum, Dei imaginem, vera aliqua ejus Lineamenta & beatam divinamq; Sortem; Regiam Charitatis & Justitiæ erga proximos Legem, nostrumq; ab utrisq; Legis hujus Tabulis defectum, quidni & lapsum eos agnovisse videbimus.

II. 1. *Pri-*

II. 1. *Primam ergo ſupremamq; Rationem, Deum mundi Rectorem, Recta Pravaq; ſancire Lege æterna & immutabili Imperium ſuum & Dominium exercere noverunt.* (*a*) " Deus ipſe ait, *Cic.* qui intel-
" ligitur à nobis alio modo intelli-
" gi non poteſt niſi Mens ſoluta
" quædam & libera: (*b*) Menſq;
" divina ſine Ratione eſſe non
" poteſt; nec Ratio divina non
" vim in Rectis Praviſq; ſancien-
" dis habere, orta igitnr ſimul eſt
" cum Mente divina, *Lex vera*,
" & Princeps, nec aliud quid eſt
" quam Ratio recta ſummi Dei:
" (*c*) Totuſq; *ait Idem*, hic Mun-
" dus Deo paret, unaq; eſt Civi-
" tas ſupremo numini ſubjecta;
" ſine Jure vero & Imperio, nec Do-
" mus ulla, nec Civitas, nec Gens,
" nec Hominum univerſum Genus
" ſtare, nec Rerum Natura omnis
" nec ipſe Mundus poteſt: (*d*) Da-
" tur profecto ſempiterna & Im-
" mutabilis quæ Mundum regit,

" imperandi prohibendiq; ſapien
" tia, Parens aliqua & Princeps
" Lex, cujus Inventor, Diſceptator,
" Lator, eſt Magiſter & Imperator
" omnium Deus.

(a) *Fragm. p.* 89. (b) *Id. de Leg. lib.* 2. (c) *Ibid. & lib.* 3. (d) *fragm. p.* 49.

III. 2. *Mentem, Rationem ab hac ſuprema Ratione delibatam, Legem ab hac æterna Lege derivatam nobis ineſſe aſſeruerunt*: " Hoc
" docet *Aratus* ab Ap. citatus,
" et notum *Epicharmi* effatum.
" De Hâc eleganter quidem dixit
" *Min. Felix*, (a) Nobis datus eſt
" Sermo et Ratio, per quæ Deum
" agnoſcimus, ſentimur, imita-
" mur: At non minus bene *Cic.*
" (b) Homo Animal providum,
" ſagax, multiplex, acutum, me-
" mor, plenum Rationis & Con-
" ſilii, ſolumq; notitiam Dei quod
" habet, præclara quadam Con-
" ditione generatus eſt à Deo: Ani-
" miq; divino Munere gaudet, ex

" quo

" quo vere vel agnatio nobis cum
" Cœleſtibus, vel Genus vel
" Stirps appellari poteſt: Adeo
" ut is agnoſcat Deum, qui unde
" ortus ſit recordetur ac noſcat;
" et niſi Divinitatis Rationem ex-
" cuſſeris, neſcias Humanitatis-
" (c) Eſt enim, ait *Soc.* in *Plat.*
" Homo Imago quædam Dei, ſpe-
" culum Divinitatis in quo Deum
" contemplari licet. (d) Et qui
" Deum ſui Cognitione metitur,
" ὅτῳ τὸ,ι ἕπος θεῷ, μάλιστα πρεῖ
" Deo ducenti comitem fidum &
" pediſſequum ſe præbet, primæ
" Naturæ *Legi* paret. (e) Ete-
" nim cum nihil ſit, ait *Cic.* in
" Cœlo nedum in Terrâ Ratione
" melius aut divinius, hæcq; in
" Homine & in Deo ſit, prima
" Hominis cum Deo Rationis eſt
" Societas. Et Mens & Ratio à
" Deo profecta, & ad recte facien-
" dum impellens, et à delicto avo-
" cans, et quidem Ratione aut
" cogentis, aut vetantis Dei, eſt

" *Lex.* Eſt enim Mens Sapientis
" ad jubendum, & ad deterren-
" dum Idonea. Nec aliud quid
" bonus maluſve Dæmon unicuiq;
" Homini à prima nativitate infu-
" ſus, quam Mens hâc Facultate
" prædita. (*f*) Bonus Dæmon,
" ait *Apul.* eſt Animus Virtute
" præditus. (*g*) Animus, ait
" *Plut.* recta monet, à pravis
" abſtrahit, & qui domitis Affe-
" ctibus hunc conſulit, bono ſuo
" Dæmone non minus fruitur
" quam *Socrates* ipſe. Eſtq; hic,
" θεὸς ἔνοικος, unicuiq; inſitus Deus,
" Dei munere nos allequitur, nec
" ſolum proximus eſt Deus nobis ſed
" infuſus. (*h*) Prope eſt, ut præ-
" clarè *Seneca*, ad nos Deus, nobiſ-
" cum eſt, intus eſt, ſacer intra
" nos Spiritus ſedet, malorum bo-
" norumq; noſtrorum obſervator
" & Cuſtos. (*i*) Nec enim quid
" hac Mente divinius Homini
" dedit Deus (*k*) ipſe. Eſtq; *Lex*,
" & *Ratio* in Hominis Mente

" adeo

" adeo confirmata & confecta, ut
" qui ei non paret, ipſe ſe fugiet,
" & naturam Hominis aſperna-
" bitur, hocq; ipſo maximas luet
" Pœnas etiamſi cætera, quæ pu-
" tantur ſupplicia effugerit. (*l*, Quæ
" cum ſit Lex, Lege quoq;
" conſociati Homines cum Deo
" putandi ſumus. Noſce teipſum
" Homo, cujus præcepti, ait
" *Cic.* tanta vis, tanta Sententia
" eſt, ut ea non Homini cuiq; ſed
" *Delphico* Deo tribuatur. Noſce
" quid ſit Homini natura tributum,
" quantam vim Rerum optima-
" rum Mens humana contineat,
" cujus Muneris colendi efficien-
" diq; Cauſa nati & in Lucem
" editi ſimus. Qui ſe ipſe nôrit,
" aliquid ſentiet ſe habere divi-
" num, ingeniumq; in ſe ſuum,
" ſicut ſimulacrum aliquod deli-
" catum putabit, tantoq; Dei
" Munere ſemper dignum aliquid
" & faciet, & ſentiet. Et cum ſe-
" ipſum perſpexerit, totumq; ten-

tarit,

" tarit, ſe principio adumbratas
" inchoataſq; Rerum intelligen-
" tias, ex quibus Ratio perficitur,
" Animo ac Mente concepiſſe in-
" telliget. Et ſane Hominibus
" πρὸς θεὸν συγγένειαν εἶναι, nos di-
" vino ſemine natos eſſe docue-
" runt Philoſophi, cecinerunt
" Poetæ.

(a) *Octav. p. m.* 126. (b) *de Leg. l.* 1. (c) *Alcibiad. p. m.* 186. (d) *Hieroc. in Car. Pyth. cap.* 52. *p.* 251. (e) *De Leg. l.* 1. (f) *De Deo Soc.* (g) *De Soc. Dæm.* (h) *Ep.* 41. (i) *Cic. offic. l.* 3. *cap.* 10. (k) *Id. fragm p.* 49. (m) *Id. de Leg. l.* 1.

IV. 3. *Deum noſcere, Mundum contemplari, curam Mentis gerere, ex ejuſq; inſtituto Vitam ducere; eamq; à Corporis Contagio, & Servitute vindicare, & ad Cœlum tendere, pro ſacratiſſimis Officiis recte habuerunt, veraſq; eorum Rationes perceperunt.* (a) " Cum
" Rerum Naturæ & Eſſentiæ non
" ſunt ait *Hieroc.* fortuito editæ &
" poſtea

" poſtea diſcretæ ſeparatæq; ſed à
" Mente opifice productæ, ordi-
" ne collocatæ atq; diſtinctæ, in
" Rerum Naturam prodierunt; hic
" ipſe ordo qui à Parente omnium
" & opifice Rebus attributus eſt,
" Naturarum præſtantiis congruus,
" eſt *Lex*. (*b*) *Naturæ* Ratio eſt
" Lex divina & humana; (*c*) et
" qui hanc percepit, Officium no-
" vit. Nec aliter quam naturæ
" noſtræ Ignoratione nullum non
" malorum Genus in nos irrum-
" pit. Et ſi nos ipſi norimus
" eaq;, rejiciamus quæ Naturam
" Rationis participem dedecent,
" & ad hanc officiorum nequa-
" quam fallacem Regulam atten-
" damus, τὸ δέον, in omnibus in-
" veniemus. (*d*) Eſtq; Philoſo-
" phia (quæ illis idem erat quod
" nobis Theologia, Dei Hominiſq;
" Cognitio) Animæ Perfectio,
" (*e*) (ἀρχαίας) οἰκείας εὐζωίας Ἀνα-
" λῆψις, priſtinæ ſibiq; propriæ
" Fœlicitatis recuperatio, & à

" fæce

" fæce Rationi contraria Purga-
" tio. (*f*) Hoc Philoſophiæ
" opus & propoſitum eſt, *docente*
" *Iambl.* ut ſolutionem à Corpore,
" & Vitam ἀθάνατον καὶ ἀεὶ ζῶσαν
" quæ habet Anima in ſeipſa com-
" paremus. (*g*) Cum enim, ut
" bene *Ariſt.* Rei unicuiq; nihil
" ſuavius ſit, nec in ea quid for-
" tius, quam quod naturale, hocq;
" ſit Homini Vita ex Mentis
" ductu Inſtituta, in hàc ſita eſt
" Hominis Beatitas. Hancq; Men-
" tis Vitam Numinis cognitione,
" & divinorum Operum contem-
" platione conſtare dixerunt, &
" ad hoc ſe natos profitebantur
" omnes Philoſophi. (*h*) Dei
" Cognitio vera eſt Sapientia &
" Virtus. (*i*) Ἀρχὴ καὶ Αἰτία καὶ
" Κανών, Principium, Cauſa, &
" Menſura humanæ Beatitudinis
" eſt Rerum divinarum ac præſtan-
" tiſſimarum Cognitio. (*k*) Deus
" enim Hominem in hunc Mun-
" dum, ut præclare *Senec.* in-
" trodu-

" troduxit, ut Deum in divinis
" Operibus contemplaretur, ne
" tanta ejus Opera ſine teſte ſint.
" (*l*) Ipſe autem Homo, ait
" *Cic.* ortus eſt ad Mundum
" contemplandum & imitan-
" dum. (*m*) Eum enim Hu-
" mo excitatum *celſum*, & *ere-*
" *ctum* conſtituit Deus, ut ſui
" cognitionem Cœlum intuens ca-
" pere poſſet: non ut Terræ in-
" cola eſſet & habitator, ſed *ſpe-*
" *ctator ſuperarum* Rerum, ac
" Cœleſtium. (*n*) Cum cæteras
" Animantes ad paſtum abjecit,
" ſolum Hominem erexit, ad Cœ-
" liq; quaſi cognationis & domici-
" lii priſtini conſpectum excitavit.
" Hæc enim contuens Animus
" accipit ab his Cognitionem Dei, ex
" qua oritur *Pietas*, cui con-
" juncta *Juſtitia* eſt, Reliquæq; Vir-
" tutes ex quibus exiſtit Vita beata
" & ſimilis Dei. Quod ſi Corpo-
" ris figura, quæ Deum quidem
" fatetur Artificem, Hominem

" eſſe

" eſſe *cæleſtem Plantam* docet,
" hoc Animus illiq; innata Deſide-
" ria magis dictant. (o) Habeo
" melius certiuſq; Lumen quo à
" falſis vera dijudicem, Animi
" bonum Animus inveniat. (p) A-
" nimus enim è Cœlo venit, in
" Cœlum rediit, illum divina de-
" lectant, nec, ut alienis intereſt
" ſed ut ſuis. Animus ſua bona
" eſſe divina judicat. (q) Et
" quicquid Animum meliorem ef-
" ficit id revera Virtus eſt & Phi-
" loſopiæ Lex: (r) Nec aliud
" quid eſt Virtus, proprium illud
" Hominis bonum, quam in ſe
" perfecta & ad ſummum produ-
" cta Natura. (ſ) Et profecto
" omnium quæ in doctorum diſ-
" putatione verſantur, nihil præ-
" ſtabilius eſt quam plane intelligi
" nos ad *Juſtitiam eſſe natos.* Eſt
" vero Animus, & à corporeâ Fæ-
" ce purgandus: Terrenis renun-
" ciandum eſt. Mortis meditatio
" eſt Philoſophia: (t) eſtq; ejus

" Finis,

" Finis, ut cum Mortis Tempus
" inſtat, relicto in Terra mortali
" Corpore ad Cæleſte Iter expedi-
" tiores ſiant Philoſophicorum
" certaminum Athletæ. (u) Ca-
" ſti enim, puri, integri, incor-
" rupti, levi quodam lapſu ad
" Deum, i. e. Naturam ſibi ſimi-
" lem pervolant. (x) Et tantum
" abeſt ab *eo, ut malum* Mors ſit,
" ut verear ne Homini nihil non
" malum aliud certe, ſed nihil
" bonum aliud potius, ſiquidem
" cum Deo futuri ſimus. Animus
" (y) enim qui è Corporis obſe-
" quio indulgentiaq; diſceſſerit,
" Societatemq; Carnis ejecerit, cul-
" tum Dei & puram Religionem
" ſuſceperit, dignus eſt qui in
" *Conſortium Dei* veniat, conſum-
" matumq; habet plenum Sortis
" Humanæ bonum, nec quid eo
" dici aut excogitari poteſt bea-
" tius.

(a) *In Carm. Pyth. cap.* 1. (b) *Cic. Offic. l.*3. *cap.* 5. (c) *Hier. cap.*14. (d) *Id.*

in præf. (e) *Id. cap.* 67. *l. ult.* (f) *De vit. Pyth. l.* 2. *c.* 20. *p.* 122. (g) *Ethic. l.* 10. *c.* 9. (h) *Iamb. vit. Pyth. lib* 2. *c.* 14. *p.* 90. (i) *Theag. Pyth.* (k) *Vid. de beat. c.* 32. *& ep.* 94. (l) *De N. D. l.* 2. *p.* 69. (m) *Id. p.* 114. (n) *Ibid. p.* 120. (o) *Senec. de vit. beat. c.* 2. (p) *In præf. ad q. Nat.* (q) *Hieroc. c.* 14. *p.* 100. (r) *Cic. de Leg. l.* 1. (ſ) *Id. l.* 2. (t) *Hieroc. c.* 67. *p.* 310. (u) *Cic. frag. p.* 49. (x) *Tuſc. q. l.* 1. (y) *Id. de Leg. & Sen. præf. ad q. Nat.*

V. 4 *Hunc hominem, hanc mentem, Animum his dotibus prædituм Dei Imaginem gerere, Deo ſimilem eſſe, talemq; non niſi à* Deo *effici bene dixerunt.* " (a) Similitudinem " cum Deo bonorum finem & fœ- " licitatis ſummam prædicat *Pla-* " *to*, hancq; ſtatuit eſſe τὸ δίκαιον " μὴ ὅσιον μετὰ φρονήσεως. (b) *Hic-* " *cles* Philoſophicam illam Mentis " purgatæ perfectionem πρὸς τὴν " θείαν ὁμοίωσιν ἐπανάγειν *divinam* " *Imaginem* in nobis ducere do- " cet. (c) Omnis Animi Ratio- " niſq; ornatus eſt Imago Dei, " illa

" illa autem quæ in Mundo prima,
" pura magis & integra. (*d*) Ex
" illorum Mente *Boethius*, & hiſce
" Philoſophiam alloquitur, Tu in
" hanc Excellentiam me compo-
" nebas ut *conſimilem Dei* faceres.
" (*e*) Deus quam Juſtiſſimus eſt,
" ait *Iamb.* nec quidquam illi
" ſimilius quam ut quiſq; noſtrûm
" ſit juſtiſſimus. Nihil eſt Deo
" ſimilius, aut Gratius, quam Vir
" Animo perfecte bonus. (*f*) Quod
" ſi ineſt, ut optimè *Cicero* in
" Hominum genere, Mens, Fi-
" des, Virtus, Concordia, unde
" hæc in Terras niſi à ſuperis de-
" fluere potuerunt? (*g*) Et hæc
" ſunt bona quæ Deus in eos
" confert quos Amore complecti-
" tur, non niſi â Deo petenda.
" (*b*) Philoſophia Dei donum eſt,
" nec *niſi ejus Ope* comparari
" queat. Ingenii Humani Vires
" ſuperat ejus τὸ κάλλος τὸ μέγεθος,
" major eſt quam quæ primis noſtris
" conatibus cedat, vel quâ quaſi

" raptà potiamur. Satis eſt quod
" Deo præeunte & exponente ali-
" quam ejus Partem nobis attrahere
" valeamus. (*i*) Viri boni a Deo
" edocti ſunt, divino generi aſcri-
" bendi, in divinam Sortem com-
" migaturi. (*k*) Arduum eſt &
" nobis difficile nimis Deum &
" noſmet ipſos cognoſcere, & Vir-
" tutem, qua à malis liberemur,
" acquirere: Sed eſt quod confi-
" damus, divinum Genus eſt Ho-
" mo, Dei cognatione tenetur, &
" eum Natura divina *qu.* Manu ad
" ſui noritiam perducit. Preci-
" bus ad D um bonorum Paren-
" tem ſe convertat qui ad veram
" Fœlicitatem urget. (*l*) Tulit
" quidem ſingulares Viros Græ-
" cia, ſed quorum neminem niſi
" juvante Deo talem fuiſſe cre-
" dendum eſt. Nemo Vir magnus
" ſine aliquo divino afflatu un-
" quam fuit. (*m*) Bonus Vir
" ſine Deo nemo eſt, an poteſt
" aliquis ſupra Fortunam niſi ab

" illo

" illo adjutus exurgere? ille dat Con-
" silia magnifica & erecta. Hinc si
cui humano Modulo major ineſſet
Animi Virtus, ſcientia Fortitudo, aut
quis alius nobilior Animi affectus,
motuſq; Deo Rationem noſtram ju-
vanti ab omni Antiquitate aſcribi ſo-
let. De qua Dei in Animum vi, quam
ſit rationi noſtræ congrua & Amica,
merito conſulendus eſt *Plutarchus*
in Vita *Coriol.*

(a) *Diog. Laert. Plat.* (b) *In præf.* (c) *Cap. 1. p. 16.* (d) *De conſol. lib. 1. proſ. 4. p 35.* (e) *Lib. 2. c. 14. p 90.* (f) *De N. D. l. 2. p. 87.* (g) *Iamb. vit. Pyth. l. 1. c. 18. p. 89.* (h) *Idem in exord. op* (i) *Hieroc. c. 61. p. 279. & not. p. 387.* (k) *P. 280.* (l) *Cic. de n. d. l. 2. p. 124, 125.* (m) *Senec. Ep. 41.*

VI. 5. Et quod mihi hæc in Ar-
gumento maximi videtur momenti,
hunc Animum Deo uniri, à Deo
gubernari, illuſtrari, eſſe Dei ſedem,
Lumine divino lætum Templum,
Deo gratum ſacrificium, illum co-
lere aptum dignum; ac uti non
non ſine Dei Ope comparatum ita

non niſi *Deo in nobis præſente manere, vel ſeſe exercere poſſe docuerunt.* " (*a*) Virtus ait *Hieroc.* cùm " ſit Dei in Homine *Imago* quæ " ſine *Exemplari*, ſuo ſubſiſtere " non poteſt, nec datur Virtus " Dei Expers, ſed qui Deo caret, " Virtutis Naturam præfocat, " quod ex ejus Ratione fit, *ejuſdem* " *Auxilio*, ut ſubſiſtat, qui non " penitus egeret? ſine Dei ope " gerere qui valeremus? (*b*) Mi- " raris Hominem ad Deum ire, " ait *Senec.* Deus ad Homines ve- " nit, imò (quod proprius eſt) " in Homines venit; nulla ſine " Deo mens bona. (*c*) Dei e- " nim Immortalis vi, ait *Cic.* Na- " turâ Ratione, Poteſtate, Men- " te, Numine, Natura omnis di- " vina regitur. (*d*) Natura e- " nim Rationis particeps, ut *Hie- " roc.* ſuam Lucem, nativum ſibi " Splendorem ſortita, ea ipſa am- " plectitur, quæ *Lex* divina ſtatuit, " nec diſcrepat à Dei Sententia A-

" nimus

" nimus qui ſecundum Deum ſe
" habet & divinitati atq; Splendori
" intentus ea facit quæ facit. (*e*) Lu-
" men enim Mentis (quod *Platoni-*
" *corum* Dogma laudat *Aug.*) ad
" diſcenda omnia eſt idem ipſe
" Deus à quo omnia. (*f*) Qui ſe-
" cundum Mentem vivit, περιλάμ-
" πεται ὑπὸ τῆς θείας Αἴγλης. (*g*) Et
" ſi quando ait *Iambl.* ad divinum
" aliquod opus efficaces videmur,
" id agimus illuſtratione divina
" deſuper influente per quam
" Actionis divinæ videmur par-
" ticipes. (*h*) Naturæ enim pe-
" rennis Fons (ut *Hieroc.*) Deus,
" non ſolum exiſtendi, ſed & be-
" ne exiſtendi Cauſa, Cœleſte bo-
" num, Lucem integram & in-
" tellectualem ubiq; ſpargit: cui
" cum Animus inhæret, ſeſeq;
" applicat *precibuſq; divinum Au-*
" *xilium petit*, divinis his allocu-
" tionibus bona Opera confirmat.
" (*i*) Et qui Rerum, quam à
" Deo adeptæ ſunt, dignitatem

" recte

" recte perpendit, se *Hostiam*
" *Deo offeret*, suumq; Animum
" divinum simulachrum, Men-
" tem suam, ad divinum Lumen
" suscipiendum, Templum Deo
" ipsi construet, præparabit. So-
" lum enim Deo conveniens simu-
" lachrum, & donum quod Deo
" *uniri* queat, est Anima pura,
" qua non minus delectatur Deus
" quam suo Olympo. Solus hic
" Deum adorare novit, hic solus
" Sacerdos Deo gratus, solus
" precandi Gnarus. (*k*) Hanc
" πρὸς τὸ θεὸν ἕνωσιν, καὶ τὴν θείαν ψυχῆς
" κοινωνίαν ad comparandam sese
" instituere professi sunt *Pythago-*
" *ræi*, & ab omnibus cavendum
" docent, quæ hanc πρὸς θεὸν ὁμοι-
" ωσιν corrumpunt. Hinc & sapi-
" entem Deum æmulari, comita-
" ri, sequi, ἑξομοιοῦν imitari, illiq;
" Vicinum, proximum, similem esse
" asseruerunt illi, & ex iis *Stoici*,
" qui cum *Pythagoras* dixisset Sa-
" pientiam non cadere in Homi-

" nes

" nes ſed Deum, ſuum Sapientem,
" qui *ſc.* adhuc extiturus eſt certe
" nullo ævo extitit, à Deo non
" niſi Tempore differre, cum illo
" ex pari vivere, & in nihilo,
" excepta Immortalitate, illi ce-
" dere dixerunt. Hanc Dei *Imi-*
" *tationem* gratiſſimum illi eſſe
" cultum perceperunt. (*l*) Satis
" Deum coluit quiſquis imitatus
" eſt. Talem Virum & Dei A-
" micum eſſe docuerunt. (*m*) In-
" ter bonos Viros ac Deum Ami-
" citia eſt, conciliante Virtute.
" Amicitiam dico? etiam Neceſſi-
" tudo. Vir bonus eſt Diſcipulus
" ejus, æmulator & vera progenies.
" Et maximam meretur notatio-
" nem commune illud Philoſo-
" phorum dogma, neminem, quæ
" à Deo peteret, acceptave cele-
" braret, ſcire, niſi qui Deum
" recte novit; nec Deum cognoſce-
" re niſi qui illi ſimilis. (*n*) Nu-
" men enim τὸ Ἄιστον εἰ μὴ τῷ Ἀ-
" γαθῷ μὴ φαίνεϑαι, ab Hominibus

" non

‘ non quatenus intelligentes ſunt
‘ ſed quatenus boni deprehendi-
‘ tur. Nota ſunt quæ hanc in
‘ in Rem lectu digniſſima habent
‘ *Juvenalis*, & *Perſius* in ſatyrico
‘ Carminum genere ſacri Vates.

(a) *Cap.* 49. *p.* 235. (b) *Ep.* 73. (c) *Cic. de Leg l.* 1. (d) *Cap* 29 *p.* 172 (e) *De civ. Dei, lib.* 8. *c.* 7. (f) *Euſtrath. ad Nicom. Ariſt. lib.* 10. *c.* 7. (g) *De Myſt. Ægypt.* (h) *P.* 235. (i) *Id. c.* 1. *p* 24. (k) *Iamb. de vit. Pyth. lib* 1. *c.* 33 *p.* 201 *& lib.* 2. *ad Symb.* 37. (l) *Senec. ep.* 95. (m) *Id. de Provid. c.* 1. (n) *Ariſt. Eth. lib.* 6. *c.* 13.

VII. Hic ſeſe offerunt obiter notandæ aliquæ illorum de Anim â non ita ſolidæ Opiniones quæ his Rationibus nituntur. Et cum hanc Animi, ut loquuntur ſummitatem vel Deum eſſe, divinæ particulam Auræ, Naturæ univerſi partem; vel, ut qui ſobrius Philoſophati ſunt, Symbola Dei & Oracula ſibi inſita habere, ſuapta Naturâ Deo jungi, & æternis

ſpeciebus

ſpeciebus uniri, modo à Corpore non impediatur, hinc & eam omnia ſcire & futura poſſe prædicere crediderunt. Et quo quis à Rerum exteriorum ſenſu & illecebris liber magis & purus, eo ad Societatem cùm ſuperis ineundam & ſuſcipiendos divinos afflatus aptior habitus fuit, & divinandi facultate præditus facile credebatur. Hinc Pueros omnes divinos eſſe atq; poſſe revelare occulta & futura putârunt *Ægyptii*, quin & omnes eorum Actiones & Verba fatorum qu. ſigna & omina obſervârunt. Hinc Virginibus ob colitam Caſtitatem divinationis donum in præmium concedere Deum frequens Rumor & vetus Opinio: hinc in Somnis videri Deos opinati ſunt; & moriens, *Cyrus* ait apud *Xenoph.* per Somnum Anima θειοτάτη φαίνεσθαι diviniſſima videtur, quod eo Tempore cum Somno tenetur Corpus maxime libera ſit. Hinc Corporis vinculo laxato Animo in ſeſe

vertere

vertere libera aptaq; deveniente Homines futura prædicere ſolitos eſſe canæ Antiquitati creditum. *Homerus* enim *Patroclum Hectori*, *Hectorem Achilli* urgente fato propinquam Mortem denunciantes inducit. Ægri *ſc.* ut quidam, quæ in aere ſunt narrant & nuda Anima Vates veridici efficiuntur. Quæ clare expreſſit optimus Poeta,

Aſpice namq; omnem; quæ nunc obducta tuenti
Mortales hebetat viſus tibi & humida circum
Caligat, nubem eripiam.

Hâcq; Semotâ,

Apparent diræ facies inimicaq; Trojæ
Numina magna Deûm.

Hæc quidem ſuis Authoribus relinquimus, ſed tamen Carnem

&

& illius Commercium objectam qu. Nubem & Caliginem divini Spiritus vitales Auras & οἰκεῖον καθῆκον congruum nativum rationali Naturæ Lumen, quo destituta sit Tenebræ, nobis denegare; Animum vero suapte natura integra & purâ Dei sedem, Templum, Sacerdotem esse, cum Deo uniri & in ejus Lumine Lumen percipere credamus.

(a) *Plut. de Isid. & Osyr.* (b) *Instit. l. 8.* (c) *Homer. illiad. 17. p. 311. spondan. & not. & p. 389. lin. ult.* (d) *Æneid. l. 2. v. 604. d. v. 621.*

VIII. 6. *Cum vero hujus Naturæ Legis duo sunt summa Capita, duæ Tabulæ, prima quæ Deum respicit quam exhibuimus, altera quæ Hominum inter sese Officia continet, quæ sit Conjunctio Hominis, quæ naturalis Societas inter ipsos ex iisdem Authoribus paucis explicanda venit. Et hi Charitatis, quæ sola est vera Justitia, sacram Legem,*

ejus in Vita humana varios Usus, veraſq; ejus Rationes edocuerunt.

" Ad Societatem enim & non
" nobis ſolum nati ſumus, ut
" præclare ſcriptum eſt à *Platone*;
" ortus noſtri partem Patria vin-
" dicat, partem Amici: Cætera
" quæ in Terris gignuntur, ad
" Uſum Hominum omnia crean-
" tur, Homines Hominum cau-
" ſa generantur. Et cum Mem-
" bra ſimus ejuſdem Corporis, e-
" juſdem Heri Servi & domeſtici,
" ejuſdem Urbis Cives, & commu-
" nis eſt nobis Animus divinus &
" Ratio recta, eadem cum Deo
" Cognatio, cujus vi, ſi quo mo-
" do eſt Natura, ſic judicio Homi-
" nes humani nihil à ſe alienum
" putarent, Jus coleretur ab omni-
" bus, nec unum uni eſſet tam ſi-
" mile, tam par, quam omnes inter
" noſmet ipſos ſumus, & vero
" Vir ſapiens eundem affectum in
" Alium pari Virtute præditum
" confert; ex his efficitur hoc,

" quod

" quod incredibile licet videatur
" neceſſarium eſt, ut nihilo plus
" teipſum quam alterum diligas:
" & nos Natura propenſos eſſe ad
" diligendos Homines Fundamen-
" tum eſt, & Fons Legum & Ju-
" ris. Hæc & alia ejuſdem notæ in noſtram Rem argumenta paſſim invenies in *Aureis* illis *Cic. de Leg.* & *M. Anton.* de ſeipſo Libris.

IX. 7. *Quam ab hac cum Deo ſimilitudine alieni ſumus, & ejus partem aliquem recuperare conamur ad quam totam facti ſumus non potuerunt non videre. Eam nos olim tenuiſſe, Animumq; propria Culpa tantis inſidiis exponi agnoviſſe & variis μύθοις Fabulis repreſentaſſe videntur non ſoli ex Antiquis Platonici. Nos unum aut alterum in iis Locum qui Fabulas & Traditiones minus redolet, (quod & in cæteris obſervavimus) notabimus.* " Homo, (*a*) ait *Cic.* non ut à " Matre ſed ut à noverca Natura

" editus eſt in Vitam, Corpore nudo & fragili & infirmo, Animo autem anxio ad moleſtias, humili ad Timores, molli ad Labores, prono ad Libidines, in quo tamen ineſt tanquam obrutus quidam divinus Ignis ingenii & Mentis. (b) Et quidem neſcio quis nos teneat Error & miſerabilis Ignoratio veri: (c) Nos enim veri Juris Germanæq; Juſtitiæ, ſolidam & expreſſam Effigiem nullam tenemus, Umbra & Imaginibus utimur, eas ipſas utinam ſequeremur. (d) Philoſophiam Deus paucis quibuſdam veram dedit: (e) Sapientiam nemo aſſequitur.

(a) *Fragm p.*47. (b) *Id.p.*88. (c) *Id. de offic. lib.*3.*c.*17. (d) *Id. fragm.p.*143, (e) *Id. de N.D. lib.* 3. *p.*159.

X. Hæc ita fuſe deduxiſſe nec inutile nec ingratum fore ſperamus. Et hoc ni fallor ſolide conficiunt, Naturam

Naturam noſtram integram qualem à Deo derivatam credimus nos, Deo Lege ſancta, Ratione recta puraq; conſociari, ejus Lumine cognitas nobis perſpectaſq; eſſe Virtutes. Et ſi Sapientia (Virtus Juſtitia, Ratio recta, Lex de qua loquimur) ſecundum Hominis Naturam eſt cum Homine ipſo cæperit neceſſe eſt; ſi vero non eſt, nec capere quidem illam poſſet humana Natura: ut bene ratiocinatur *Lactantius, Inſtit. lib.* 3. *cap.* 16.

XI. Strictiori vero Stylo repetanda eſt hæc materia & hiſce alia ex Sacramento Dei & ſacris Arcanis petita, addenda. Deus cùm ſit prima Mens, ſumma Ratio, ipſa Sapientia & Virtus, qui non pro abſoluta poteſtate nec ex Animi arbitrio imperat ſed tanquam communis omnium Parens iſtiuſmodi *Leges* dictat, quæ ſua Natura ad humani Generis univerſi Beatitudinem conducunt; hujuſq; in Deo Perfectionis, ſuæq; ab illa Originis

Conſcientia Creaturam rationalem fugere non poteſt, ſed eadem Neceſſitate qua ſeipſam intelligit rationalem, etiam non poteſt non agnoſcere omnimodam ſuam à primæ Rationis imperio dependentiam; hinc Deo ἕπεσθαι, recte Rationi parere, Res pro ſuo Ordine affectu ſtudioq; proſequi apud Creaturam rationalem ſumma Neceſſitas, & ſumma Virtus, Naturæ Lex: et ex *Rerum Naturis mutuaq;* χέσει *prima boni maliq; Ratio petenda eſt; et quicquid ex indiviſo Divinæ Naturæ cum Humana nexu fluere*; quicquid de Amore Dei & proximi, deq; Uſu & Abuſu, Creaturarum Dei, Mens,& Animus dictat Naturæ rationis participi in *Legem* eſt. Eſt hæc Naturæ Lex. *Grot. (a) Dictatum rectæ Rationis, indicans alicui actui, ex ejus convenientia aut diſconvenientia cum ipſa Natura Rationali ineſſe moralem Turpitudinem, aut Neceſſitatem moralem, ac conſequenter à natura Authore*

talem

talem actum aut vetari aut præcipi. (*b*) Cloppenburgio *vero aliisq; est, Impressio divini Luminis, Sapientia divina putefacta ut est ex Deo, illuminans Naturam rationalem, illam informans & docens quid sit honestum & justum. Utrasq; has definitiones, quarum primam docet* Vasquez. *alteram* Aquinas, *expendit* (*c*) Salas. Hæcq; non tam in summa Numinis Majestate & in nos Authoritate cui obsequium denegare nefas, & quam impune violari æquum non est, fundatur, *quam divinæ Sanctitati cui nos ipsos conformes præstare tenemur vim suam & sanctionem debet.* Consulantur doctissimi et Cl. Viri quondam Præceptores perpetuo honorandi D. D. *Witsius de Oecon. Fœderis*, & *D. D. de Vries* de *leg. nat.*

(*a*) *De ju. B. & P. lib.* 1. *c.* 1. *sect.* 10. (*b*) *Syllab. disp.* 2. § 12. (*c*) *De leg. disp.* 5. § 1.

XII. Λόγος hic ἔμφυτος, integra Legis facies Menti insculpta, huicq; connata Sapientia & Integri-

tas

tas, quæ omnis Sanctitatis Fundamentum illi erat & Regula, fuit ipsa divinitatis Imago qua decoratus Homo cœlestem retulit originem, ad divinum Exemplar compositus. Legisq; in Deo æternæ & Archetypæ Effigies & ἀποτυπώματιον, ἐκτύπωμα & deformatio erat in qua Justitiam & Sanctitatem expressit Numen. Hæcq; intellectûs ac Voluntatis Rectitudo totam Animam dotibus plane divinis, atq; instar derivatæ de Cœlo Lucis coruscantibus, collustrabat exornabatq;. Hic Conscientiæ dictatus et Lux, eiq; acquiescens Voluntas, sanctæ cum Deo Communionis vinculum fuit, & medium quo Deum contemplatus est Homo, cujusq; vi de Deo tanquam bono suo gloriatus est. Homo enim integer Viribus, Animo & Mente castus, Dei Amicitia ac familiari cum eo commercio gaudens, quicquid ad intimam ac immediatam Unionem expedire, Mens ejus divinitus erudita dictabat

bat, charum habuit. *Talis Juſtitia & Sanctitas* (quæ pari paſſu ante lapſum ambulabant) *Homini in primo ſtatu*, dum recens ex manibus Dei exiret, *Naturalis*; & ex Creationis fine & ſcopo, qui fuit ut Templi hujus univerſi Antiſtes, divinarum Virtutum, quæ novo Orbe explicuerat Deus, Præco, Deo bono ſanctoq; frueretur, debita. Legat benignus Lector, Cl. *Turret.* Vol. 2. *de Lege.* & Cl. *Burman.* Syn Theol. Vol. 1. lib. 1. loc. 8. & Cl. *Leydeckeri verit. Evang. Triumph.* lib. 2. cap. 2, & 3.

XIII. Sanctitatem Dei non parum violant, ac præcipuum ejus Opus prorſus defædare non erubeſcunt, qui hanc Dei Imaginem non Homini primitus conceſſam inditamq;, innatam coævamq;, ſed propriis Viribus ac voluntariis Actibus acquirendam ſtatuunt; Hominemq; hoc Lumine caſſum, hac dote Orbum pro integro habent, nec

ex

ex hoc degenerem agnoſcunt. At qui præclari quondam Ædificii Rudera & Ruinas hic non videt, Deum, raſam Tabulam, in qua ejus Imago humana Arte & Manu duceretur & effingeretur, exhibuiſſe; rudem Materiam, ex qua proprio marte politâ & extructâ, ipſi Templum exurgeret, ſuppeditaſſe; ut doceant neceſſe habent, & revera docent. Et (a) *Naturales defectus, Ignorantiam in Intellectu concreatam, Concupiſcentiam ac pronitatem ad malum in Voluntate, affectus divinæ Voluntati repugnantes, qui non ſint peccata nec Juſtitiam impediant*, aſſerunt. Mala credo, congrua nimis & connata Naturæ noſtræ, non niſi bonis artibus & ſtudiis corrigendæ, perficiendæ. Artifex forſan materiam paſſus eſt Deus nec mutavit. Alias vero Rationes init orthodoxa Eccleſia, & omnem Ἀνομίαν, omnem Mentis defectum, omnem huic Legi & Imagini divinæ contrarium Animi

Animi motum vel affectum, omnem Concupiſcentiam, quantumvis naturalis Videatur, ex hujus laxato diſruptoq; imperio fluere, & proinde peccatum eſſe docet.

(a) Tirin. jud. controv. XI. n. b. 10. *Joan. Geiſter. in conf. ſua, de Chriſto ipſo, & Epiſcop. diſp.* 16. *theſ.* 5. *& diſp.* 20. *theſ.* 16. *de Adamo.*

XIV. Hæc Dei Imago cum id in Homine fuit, quo Creationis fini reſponderet, Deo Operum ſuorum Laudem reddere, cum Deo uniri & conſociari, Dei Lumine & lætifico Spiritu gaudere aptus fuit nec indignus; pro hujus bene maleve habitæ Ratione Creatori ſancto & bono grata eſt & dilecta, vel illius Iræ & vindictæ ſubjecta eſt Natura Mentis & Rationis particeps. Amat Deus Imaginem ſuam, Creaturæ ſanctæ ſe bonum præbere gauder, pio ejus deſiderio ſatisfacere geſtit. Dei vero Imagine *qu.* demolita Imperium Dei detrectat Homo

Homo à Vita Dei seſe alienat, Deum colere ineptus, Deo frui indignus.

XV. Summo vero Numini pro ſua Benignitate placuit hunc Hominem rectum ſanctumq; Inito Fœdere ad propiorem ſui Communionem invitare, ei ad Beatitudinem aliquam majorem, quam ex Jure Dei per Naturam cognito ſibi promittere potuiſſet, certiſſimum præbere additum. Et exinde devenit hæc Lex & Imago non ſolum Legis æternæ Apographon, ſeu Exſcriptum, Exemplar Sanctitatis & Canon Obedientiæ, ſed etiam *Contractus Fœderis*, definitio Conditionis in pacto de promiſſis Dei obtinendis. Dato Juris poſitivi & ſymbolico præcepto amplioris alicujus Vitæ (quidni cognati Cœli cujus Semina & Ideas retinebat, & ad quod Animus Terræ divitiis & tam longinquo Dei ſui aſpectu non ſatiatus, omni affectu contendebat, cuiq; revera redonandus erat)

erat) ſpem dedit, hancq; externo ſymbolo & Sacrmento firmavit. Violato vero Dei mandato Iratum Dei Vultum, Mortem ſibi inferendam, & quos cruciatus quaſve Miſerias Fœlicitati promiſſæ ex adverſo reſpondere vidit, metuere debuit. Emenſo probationis ſuæ curriculo Juſtitiam conſecuturus ad Vitam promiſſam Jus demum habiturus fuit *Adam*; quocunq; vero peccato non ſolum divinæ Voluntati & Legi repugnavit, ſed & fœdus Dei neglexit, fregit, rupit, minatamq; pœnam meruit, incurrit. Lex enim vel ex pacto Vitam addicit, vel ex juſta & decenti Dei ſententia morti adjudicat, *Rom.* 8.4. *Rom.* 1. ult. Rupti hujus fœderis reus *Adam*, *Hoſ.* 6.7. vindictæ divinæ Legiſq; vi damnatoriæ ſubjectus fuit ipſe & cum illo ſera Poſteritas. Communis Mundi Parens rerum fata ſecum traxit, ac univerſam ſobolem ream fecit, ſub κόλασιν poſuit.

XVI. Qui hæc novit ponderatq;, Deum ſine Satisfactione &

Sacrificio quod ipſo dignum ſit; iiſve qui cum ipſo per hoc Sacrificium Fœdus non faciunt, peccata remittere, vel, non obſtante naturali Sanctitate & Veritate, Legem laxare & cupiditates non imputare, poſſe, non aſſeret: Quæ ſunt Errorum Capita quorum Fontem & nexum aperire, eumq; detectum pro Modulo & propoſita brevitate ex orthodoxæ Eccleſiæ Mente refutare in præſens Animuseſt.

XVII. *Et quod ad* Socinianos, *quæ ab Initio uſq; Sermonis noſtri dicuntur directa Fronte illos petunt, nec niſi eorum Ruinis ſuperinſtructus ſtabit* Sòcinianiſmus, *modo ſtabit, nec propriis verbus ruat, ſeſeq; deſtruat quod patebit:* ‘*Socinus* e-
‘nim, & cum illo prima præcipue
‘ſequacium maleſana turba, Deum
‘non tam Mundi *Creatorem* quam
‘laxo, Senſu *Conditorem* Materiæ
‘*ſc.* æternæ primum motorem,
‘in Cœlis (& quidem ſolis) Domi-
‘num, in quo nihil præſtantius
‘principatu,

‘ principatu, cui ipſa Naturæ ſuæ
Sanctitas cedit, ſtatuit. Eumq; non
‘ tam hac Mundi Machina & Opi-
‘ ficio, quàm *Miraculis* ſe exhibere,
‘ hiſq; Placita ſua & mandata, omnem
‘ *ſc.* Religionem confirmare docet,
‘ & ejus exiſtentiam nec ex Rerum
‘ Fabrica & Ordine, multo minus ex
‘ Animis noſtris illiſve inſita numinis
‘ notione probari poſſe; ſed Denm
‘ primo Homini ſeſe Oculis uſurpan-
‘ dum (ad hoc enim corporeus dici-
‘ tur & finitus) præbuiſſe, cujus Rei
‘ Memoriam poſteris ille tradidit, &
‘ ex hinc univerſæ de Deo Famæ &
‘ Fidei Originem petit: Nec Animæ
‘ noſtræ Deum Authorem refert niſi
‘ in quantum ſit ille univerſi princi-
‘ pium vitale ad quem Vitæ fontem
‘ Anima, quæ per ſe non ſubſiſtit,
‘ redit. Quam ergo Naturæ Le-
‘ gem docebit, cui omnis Religio
‘ eſt Res nequaquam *naturalis* ſed
‘ divina quædam *patefactio*, et Na-
‘ tiones omni Religione carentes in-
‘ veniri, integroſq; populos, qui

 ‘ nullum

‘ nullum penitus Senſum aut Suſpi-
‘ cionem divinitatis alicujus habent
‘ dari contendit. Hæcq; abſurda adeo & Atheis ſolis digna dogmata *Socinianiſmi*, qualem propagarunt primi Authores, baſis ſunt & πρῶτον ψεῦδος.

Hæc omnia in Soc. de Auth. SS. c. 2. op. Tom. 2. & in Reſponſ. ad def. Puccii. op. Tom. 2. p. 283. & 286. Prælectionum Theol. c. 2. & Oſtorodii inſtit. Relig. Chriſt. c. 1. invenies.

XVIII. *Et ex horum mente* Adamus *(in quo Natura noſtra Germanam Vitam inſtituiſſe cenſenda eſt) Deum non niſi Dominio in Res creatas retulit, hac Dei Imagine (a) nulla Sanctitate aut Juſtitia, præditus. (a) Hæc enim iis habentur ſupernaturalia dona, novi demum Hominis à Chriſto edocti; Cæleſtiq; in mortem & in infernum principatu donandi propria. Nec eſt quod de vocibus hic litigemus. Satis enim inter utroſq; convenit,*

ſancti-

ſanctitatem hoc ſaltem in ſe continere, Dei ſc. *cultum ſub ſpe futuræ Immortalitatis & Beatitudinis, Animiq; affectus hac ſpe dignos & conſonos, vitæq; tenorem hac duce traductum inſtitutumq;: hoc vero totum à Chriſti Lege demum pro officio Hominibus imponi illi omnes volunt.* " Etenim immor-
" talitatis aut Vitæ æternæ Spes
" nulla *Adamo*, nec ulli alii Ho-
" mini ante Chriſti Evangelium
" propoſita fuit; nobis vero, qui-
" bus monſtravit Chriſtus qua-
" nam Ratione fieri poſſit, ut Homo,
" qui Naturæ mortalis craſſus eſt,
" transferatur in Cœlum increatum,
" in quo Deus ab omni æternita-
" te habitavit, nobis, quibusdemum
" Cœleſtia exhibuit promſſa Chri-
" ſtus, etiam Cupiditates & mun-
" dani nimium affectus verantur,
" & vita non nimis delicata & ju-
" cunda ex Chriſti Exemplo nobis
" incumbit, imo & angelicam Vi-
" tam fere ſuperare jubemur, & ad

" divinam accedere videmur: Poli-
" gamia, odium hoſtium, Salutatio,
" Compotatio, aliæq; Voluptates
" carnales Judæis niſi diſſolutæ ni-
" mium eſſent licitæ, nobis illici-
" tæ factæ ſunt. Mirum vero
" quam Naturæ noſtræ adverſa-
" tur hic Vitæ Curſus non ſane niſi
" Humanitate depreſſâ & exuta
" tenendus. Amor enim noſtri,
" (ait *Smalc.*) & Cupiditates adeo
" ſunt naturales ut humanitatem
" perdidiſſe videtur qui eas excuſ-
" ſit. Et *Adamus* certe Animali
" ſolum Vita præditus fuit. Nec
" eſt Ratio in Homine idem illis ac
" *Ciceroni* Ethnico licet Vinculum
" Dei & Hominis, nec Imago Dei
" in Homine hoc poſtulavit: fuit
" vero aliqua noſtras in Actiones
" Poteſtas & Libertas, hunc in
" finem Homini data ut cunctis
" Creaturis dominaretur, per ſe
" non magni æſtimanda, ſed ob
" dominii Fœlicitatem, quæ ex
" illa ortum quidem ducit, illi ta-

" men

" men quod ad hanc vitam atti-
" net anteponenda. Menſq; hæc
" & Ratio in illo ad bonum ma-
" lumq; libera fuit & indifferens,
" ad utrumq; parata, Virtutis
" Vitiorumq; ſemina pariter reci-
" pere idonea, qua recte utens in
" ſe Juſtitiam derivare potuit, Na-
" tura vero eum non recta ſed ſibi
" bona appetere inclinavit: *Nulla ergo ex hac Hypotheſi dari poteſt alia Naturæ Lex quam illa quæ Ap. Lex Membrorum dicitur.*
" Et cum præter hæc, Animæ
" Immortalitatem, & Impiorum
" poſt Mortem Pœnas negat (&
" in hoc totas Chriſtianiſmi Ra-
" tiones fundat) & eorum æter-
" nam Mortem & interitum docet,
" niſi quod ii qui ad diem Judicii
" vivi erunt in Ignem cum Diabo-
" lo trudentur in eodemq; conſu-
" mentur. Res noſtra abunde
" patet.

Hæc omnia in Soc. Præl. c. 3. Reſp. ad def. Pucc. p. 287. Col. 2. & paſſim. Ep. ad Volkel.

Volkel. 5. in Smalc. de div. Ch. c. 6, 14, 16. Exam. 157. Err. 704. & Resp. ad nov. monst. part. 2. c. 24. p. 212, & 215. & disp. de extr. jud. sect. 4. & Socin. compend. in Cl p. Tom. 2 c. 2. sect. 1, 2, 3, 4. & c. 5. sect. 4. & c. 8. sect. 4. & Equ. Pol. Apol.

Hinc & Deum tanquam Dominum & Principem semper sub oculos ponunt, ejus Imperium in nos in potentia & munificentia fundant, & plane herile esse statuunt. Regniq; divini Leges & Statuta, sunt mera placita, & universum Legis Argumentum â pura liberrimæ Voluntatis divinæ Determinatione in solidum pendere volunt, nec Essentiæ divinæ sed Voluntatis solæ Cognitionem ad salutem utilem censent. " Et quicquid Juris, ait *Crell.* " Deus, *qua Rector* est, habet in " Legibus ac Pœnis sive faciendis " & constituendis sive relaxandis " aut etiam tollendis id ex Domi- " nio ipsius absoluto primo pendet. " Et cum aliquod officium, ait

" *Soc.* præcepit Deus, quæ ſit
" Pœna infligenda imo an omnino
" nulla ſtatuenda ſit, à libera Dei
" Voluntate ortum ducit & ab ea
" prorſus pendet, *nec alia eſt*, *ait*
" Crell. in *Deo Juſtitia*, quæ illum
" Præmio aut Pœna afficere ali-
" quem movet, quàm in *Decretis*
" ſervandis Conſtantia & Veraci-
" tas. Omnis quidem in Deum
" offenſa Pœnam meretur ob eamq;
" Jure iraſcitur Deus, ejuſq; Pœ-
" nam expetere Jus habet, *pro*
" *Arbitrio* tamen punit aut remit-
" tit: eſtq; hæc *Ira* non Proprietas
" in Deo reſidens ſive Eſſentialis,
" ſed liberæ Voluntatis effectus
" Miſericordiæ oppoſitus, & ſum-
" ma cum Clementiæ Laude de
" Jure ſuo cedit. Quæq; cum
" non ſit ſine moleſtia abſurdum
" eſt Deum iraſci in æternum.
" Eſtq; hic proprius puniendi affe-
" ctus. At Naturæ divinæ ejuſq; re-
" ctitudini & æquitati non debetur
" Pœna niſi *Decreto* de ea extante,

" nec

" nec *Justitia* Dei simpliciter Pœ-
" nam eorum qui Christianos per-
" sequuntur postulat, sed post-
" quam decretum Dei de iis pu-
" niendis intercessit: tale decretum
" contra non Resipiscentes extat:
" nec alios quam qui plane impro-
" bi sunt & rebelles punire decre-
" vit, obstinatam contumaciam,
" eamq; in qua quis persistit Ini-
" quitatem solam pro vera & Pœ-
" nis digna habet. Et hi quidem
" cum sint Pestes Societatis, bo-
" num Ordinem nimis conturbent,
" & Domini Authoritatem plane
" contemnant, *iis nulla est spes*
" *veniæ*, nec Ratio aliqua suppe-
" tit, qua Deum eos nolle punire
" sperent, nec hujus Generis Cri-
" minum venia nisi à Gratia occul-
" ta & speciali speranda. Atta-
" men & hos, è Morte cui edicto
" suo mancipati sunt eximere, &
" quidem Jure, *sua sola Voluntate*
" potest. Et quam facilis Deus
est decreta sua, etiam illa Mise-

ricordiæ,

ricordiæ, reſcindere, & quanti refert ut Deus ad ea præſtanda obligatus eſſet, nc de iis pœniteret, & quam levia illum iraſcentem, & Pœnas Animo molientem à propoſito ſuo revocant, noſtro Sermone clare & eleganter ex iis nuper oſtendit Vir *Doctiſ. & Clariſ.* Hinc & peccata in ſolidum remittere, mandata ſua Viribus noſtris attemperare, & pro Modulo noſtro perfectam obedientiam ad Juſtitiam & præmium accipere ejus Naturæ & in nos imperio quam maxime congrua ſunt &digna.

XX. Quæ vero quam bene inter ſe cohærere videantur, & ſi abſolutum & poſitivum Dei Jus ſpectes forſan vera ſatis & ſolida, tam Deo, primæ Menti ſupremæq; Rationi, & Dei in nobis ſoboli, Legi, & imagini Injuria, & niſi Dei Sanctitatem, qua ſe Actionum ſuarum Finem proponens Creaturam rationalem ſui cultûs ergo creavit, penitus abſurda, & in to-

totum Christianis Theologis indigna.

XXI. *Sunt tamen plenius examinanda, suntq; sua protrudere adhuc admittendi. Ex præceptorum, quæ dedit Deus, inspectu clarius explicanda sunt quæ diximus.* " *Adami* igitur Obedientiam ex- " plorare (sibi dubiam) & ipsius " erga se Pietatis Experimentum " capere voluit Deus. *Legemq*; il- " li tulit cui Sanctionem pœnalem " Mortem necessariam & æternam " (ex qua *sc.* nulla, nisi quæ ex " Gratiâ Christi contingit, *Libe-* " *ratio*) addidit. Fuit vero hæc " *Lex personalis*, & illi peccato " propria Sanctio, nec ad omne " Peccatorum genus trahenda, " nec ad omnes Homines exten- " denda: nisi quod ex naturali " ejus Æquitate, alicui Legi ge- " nerali aptari posset. Nec ulla alia " extitit Sanctio ante Legem " Mosaicam Fœdusq; antiquum, " alias enim qui ante vel extra " Legem *Mosaicam* peccaverunt

" per

" per ſe fuiſſent Condemnationi
" ſubjecti, eandemq; Pœnam vi
" Sanctionis ſubire debuiſſent, quo-
" rum tamen Mortem ex uno *A-*
" *dami* delicto (& delicti ac
" Tranſgreſſionis *Adami* mentio-
" ne comminationem illam quia
" plane *Perſonalis* erat, & ad illam
" unam peccati ſpeciem qua *Ada-*
" *mus* peccarat, reſtricta, tacite
" comprehendit) fluxiſſe ſtatuit
" Ap. Totaq; *Adami* Juſtitia in hoc
" conſtitiſſet ſi de vetitæ Arboris
" mortifero tactu guſtuq; abſti-
" nuiſſet: Præmiumq; illi hujus
" reſpectu adjudicandum fuit Ani-
" malis Vitæ, Paradiſi deliciis
" luxuriantis diuturna fruitio.

Vid. Crell. Reſp. ad Grot. c. 2. partic. 1, & c. 1. partic. 78. & partic. 1. & cap. 5. partic. 4. & cap. 2. partic. 5, & 7. Id. de Deo cap. 28. & c. 31. Socin. de ſervat. lib. 1. c. 1. Clopp. Tom. 2. c. 3. § 1. & c. 8. § 5. & Socin. Præl. c. 3. & c. 8.

XXII. *Legem quoq; tulit Deus Israelitis mediante* Moſe. *Sed mirum quam illam deprecient, viliterq; habeant.*
" Imperfectam, carnalem, ſervilem,
" damnatoriam, terrenam ubiq; de-
" clamitant. Plæraq; ejus Præcepta,
" ait *Oſtorod.* craſſa, & corporalia
" fuerunt, &, (ut *Soc.*) maxima
" ex parte adeo vel levia, vel va-
" na, vel ſuperſtitioſa, vel etiam
" ſtulta, ac Ridicula, & in ſum-
" ma parum Deo digna, ut neceſſe
" fuerit longo tractu Temporis,
" Deum nunciorum Cœleſtium ap-
" paritionibus miraculiſq; evidenti-
" bus fidem perſpicue facere Legem
" illam à ſe promulgatam eſſe.
" *Fœdus* fuit *Operum*, cujus *For-*
" *mula* (*Fac* & *Vives*,) & cujus
" *Promiſſa* fuerant, ait *Oſtor.* ex-
" terna, *& corporalia ad hanc*
" *Vitam placide, ac ſplendide de-*
" *gendam pertinentia*; levia ſolum
" peccata, Pecudum Sanguine,
" expiavit, neq; Remiſſio gravio-
" rum peccatorum ullo modo aut

" ſen-

" ſenſu iis propoſita fuit. Totaq;
" quæ ex hac Lege fuit Juſtitia
" non niſi ad terrenas Benedictio-
" nes valuit. Neq; ex vi Fœde-
" ris, nec ex eorum Expectatione,
" ex ſola vero occulta Dei Gra-
" tia & ex eventu è morte vindi-
" candi & ad Vitam æternam bea-
" tamq; Immortalitatem (quam
" Chriſtus Evangelio ſuo primùm
" revelavit) reſuſcitandi ſunt *V. T.*
" Patres. In qua tamen ad Vi-
" tam novamq; Subſiſtentiam Re-
" ſurrectione, ejuſq; ſpe, & ipſi
" totam Religionis vim & Natu-
" ram ponunt. Huc uſq; Saltem
nullam, *Legis* Naturæ ſpiritualis,
(cujus de Deo & proximo diligendo
ſumma Capita) in qua fundatur Dei
in nos imperium, ſine qua à Crea-
tura rationali λογικὴ λατρεία cultus
rationalis præſtari non poteſt, men-
tionem apud illos invenimus.

Vid Clopp. Tom. 2. *ſect.* 1, *&* 3. *Socin. Ep. ad And. Dudith. Op. Tom.* 1. *p.* 499. *Crell. Reſp. Grot Cap.* 1. *partic.* 26. *Schlicht-*

ad Heb. v. 10. *&* 16. *Smalc. Resp. ad nov. monst. part.* 1. *cap.* 3. *p.* 36. *vit. Socin. oper. præf. Catech. Racon Qu.* 1.

XXIII. *Inquiet vero quis, quid de Conscientiâ, de Lege naturali cujus dictis referta adeo sunt* Ethnicorum *scripta, & de illa Legis* Mosaicæ *parte quæ* moralis *dicitur, & ex Dei Natura & nostra Necessitate quadam fluere censetur, apud eos statuitur?* " Et quidem ali-
" quod justi & injusti discrimen
" Hominibus *naturaliter* inesse,
" aut certe in omnibus hoc situm
" esse ut cognoscant & fateantur ju-
" stum injusto anteponi debere,
" honestum Turpi asserit *Socinus.*
" Hanc vero mali boniq; Con-
" scientiam iis inesse statuit qui
" ipsum Deum esse nec sciant,
" nec cogitent. Quæ quidem in-
" terius aliquod Dei Verbum est
" & qui ei paret Deo gratus est
" futurus, (nec enim, eodem do-
" cente, ad hoc necesse est ut

" quis

" quis Deum credat, niſi cui Deus
" ſe aliqua Ratione patefecit.)
At quæ hujus Obligatio? quæve
ejus Sanctio? qualis hic Lex?
" E *Socinianis* vero aliqui ut *Wol-*
" *zog.* & *Crell.* ſunt non adeo
" abſurdi, qui Deum eſſe ex
" Mundi Opificio ſolide probari
" docent, & aliqualem Naturæ
" divinæ Cognitionem naturalem
" aſſerunt, & quod huic convenit
" æquum eſſe ut faciamus agnoſ-
" cunt; hi tamen nihil niſi quod
" liberrime determinavit divina
" Voluntas nobiſq; externa pro-
" mulgatione obſervandum manda-
" vit, pro *Lege* habent. Etenim cum
" Senſus ac appetitus in nos natura-
" lem vim habeant, Conſcientia
" quæ horum impetus retinere ap-
" ta eſt non poteſt eſſe *Lex*, con-
" tra hanc enim Natura *qu.* co-
" gente multa agimus, at quod
" naturale eſt peccatum non eſſe
" ipſi & recte docent. Et ut
" *Socin. Adamum* (Paradiſi in-

" colam adhuc Felicem, & ante il-
" lud delictum de vetita Arbore
" comedendi nihil contra pro-
" priam Conſcientiam feciſſe quis
" probabit? Imo, ex eo quod de-
" liquit, apparet Appetitum, ac
" ſenſus Rationi dominatos fuiſſe
" nec bene inter hanc, & illos an-
" tea conveniſſe. *Peccaſſe vero ne-*
" *mo dicet.* Idem, fateor, *Soci-*
" *cinus* ex hac Rationem inter &
" Appetitum diſſenſione & pugna
" primam mali Originem ac For-
" malem ejus notionem in *Ep. ali-*
" *qua* ad *Libertinum quendam*
" *datâ* petit. Sed niſi (pro Re
" variâ & diverſa aſſeruit) de iis
" Cupiditatibus iiſve Actionibus
" externis quas cohibuit malaſq;
" eſſe juſſit Rerum Dominus
" Deuſq; loqui intelligendus eſt.
" Concupiſcentia enim externo fa-
" cto & molimine ſe non prodiens
" nec *Adamo*, nec ulli ante Chri-
" ſti Evangelium vetita fuit, pro-
" inde nec Peccatum fuit. *Crel-*

" *lius*

" *lius* quidem cum ſanctionem
" *Adamo* datam, plane Perſona-
" lem fuiſſe, Eamq; fæderi antiquo
" additam abrogaſſe Chriſtum do-
" cuerat, unde, quave machinâ,
" aliquam N. fæderi addendam in
" ſcenam attraheret vix videns,
" Naturam quædam præcipere
" quædam prohibere: ac ſpe bona
" implere, & quadam Conſcientiæ
" voluptate perfundere recte a-
" gentes, metum ac terrorem in-
" cutere male agentibus *fatetur* ; &
" *Legem Naturalem* videtur ver-
" botenus aſſerere, quæ tamen nul-
" la fuit ante Chriſtum, ejuſq;
" ſanctionem quæ tamen ad Gentes
" *vere*, & *proprie* prius non perti-
" nuit, docet. Etenim, *eodem do-*
" *cente*, nulla Deo ineſt *Juſtitia*,
" ſanctumve peccati odium, nec
" eſt *Legis Sanctio juris Naturalis*,
" nec ad alios vere ac proprie perti-
" net quam iis quibus lata eſt;
" nec datur adhuc ulla peccati
" pæna, quæ aliud quid ſit quam

" quod

" quod citra pœnæ rationem fieri
" poterat, & ad quod nihil aliud
" esset opus, quam Naturalem
" nostram Conditionem non mutari.
Nec est (ex eorum mente) quod de anima nuda Præmia &c. pœnasve sentiendi incapaci timeant, & certe totius Hominis novam Existentiam ignorat natura: qualis ergo apud Conscientiam speciali numinis patefactione destitutam Legis Sanctio quorsum vanus ille animi male conscij metus? Sane, herile Dei imperium, Leges & placita liberrimæ voluntatis jura, pro arbitrio constitutæ, pro arbitrio; infligendæ pœnæ, quæ tamen & pœnarum rationem habere nisi Deo docente intelligi nequeunt, cum Lege Naturæ nimium pugnant: Datur quidem naturalis æquitas quæ Legis Notionem, Deo volente & ita ferente, subire potest, & Datur Naturale aliquod malum ê quo sibi Parentes eripere, hincq; extreme Contumacibus in pœnam constituere

tuere poteſt, ſed nulla (ex horum mente,) datur Naturæ Lex.

Vid. Soc. Præl. c. 2. & c. 3. Ep. ad Ph. B. Op. Tom. 1. p. 358. & Ep. 5. ad Volkel. p. 454. Wolzog. Summ. inſtit. Cbp. Ariſt. part 2. c. 4 Catech. Racov. c. 1. de Præc. Lec. Add. & Schlicht. adv. Meiſnir. Artic. 4. deeod. p. 385. Vid. & Crell. in Ep. ad Rom. c. 7. v. 7. & Oſorod. inſtit. cap 30. & 31.

XXIV. " Aliqua naturalis (ex " horum mente) hujus æquitatis " dictata humana magis & facilia, " ad vitam hanc honeſte degen- " dam pertinentia in Actionum " externarum Legem *Iſraelitis* tu- " lit Deus, miſeram vitam, mor- " tem violentam immorigeris pæ- " nam minatus. Cum vero to- " tam Legis vim ex fœdere petunt, " ejus præcepta diſpenſaſſe ejus " Sanctionem abrogaſſe Chri- " ſtum, utraq; vero perfectiori " modo noviſq; additionibus reſti- " tuiſſe hunc noſtrum Legiſla- " torem dicunt. Quicquid in Lege

æternum

" æternum esse merebatur in Evan-
" gelium suum traduxit: & Legis
" (*Mosaicæ*) Sanctionem ob suam
" cum naturali æquitate analogiam
" Legi suæ adaptavit. qua ratione
" affirmare videtur *Paulus* legem
" esse potentiam peccati. Futuram
" totius hominis (homo enim
" vivit & homo moritur)
" immortalitatem suis cultoribus
" promisit, suoq; vitæ& mortis
" exemplo salutis viam confirma-
" vit. Propter cælestia promissa,
" (promissa enim & præcepta in-
" ter se proportionata sunt) sancti-
" tatem plusquam Humanam, cru-
" cem ferre, sese abnegare, illum
" imitari jussit, ipsasq; mentis con-
" cupiscentias prioris ævi hominі-
" bus licitas nobis malas haberi
" voluit:& spiritum sanctum, quic-
" quid sit, novi fœderis bonum
" promisit.

Vid. Crell. Resp. ad Grot. c. 3. partic. 7. Smalc. Resp. ad 47. Thes. Frantz. & de Div. Chi. 6. Clopp. Tom. 2. c. 5. § 4. Equ. Pol. Apol.

XXV.

XXV. *Cum vero præcipuum Christiani Hominis opus esse fidem, & aliquo respectu non vitæ obedientiam sed ipsum fidei actum (idoneo quidem aliquo facto sese exerentem,) nos justificare & ipsi volunt, quid ex eorum opinione illa sit, videamus. Et cum hujus vim & naturam in hoc sitam esse doceant, quod sit eximium aliquod opus Deo quam maxime gratum, cujus ergo ex libero Animi motu eos favore suo dignatur, hinc & ex placito & Juris positivi esse videas.* " Hocq; pro suorum " dogmate agnoscit *Eques Polonus*, " Deum pronunciare injustum " pro justo propter aliquod factum " quod secundum suum placitum " homini imposuerit. imo & hoc " negato omnem Religionem tolli " asserdit: *quod de sua verum est.* " *Instatq;* an Deo ardua promit- " tenti credere non est aliquod " factum quod secundum placitum " a nobis requirit? *addit*, sed & " aliud aliquod opus, a Deo quo

fidem

" fidem noſtram exploret, impoſitum
" cauſa erit ut Deus nobis juſtitiam
" imputet. Ad quam Sectionem
" Reſponſionem ſuam ita orditur
" *Cell. Cocceius*. quum oſtendi-
" mus eos putare cauſam juſtifi-
" candi eſſe aliquod factum ex
" placito impoſitum videmur ocu-
" lum *Socinianiſmi* pupugiſſe, ita
excandeſcit *Eques*. Et ſane, *docente*
" *Smalcio*, varia variis temporibus
" media parat Deus, quibus homi-
" nes uſi ſalutem conſequuntur,
" & juſtificatio per fidem nunquam
" fuit hominibus propoſita ante
" Chriſtum, ſed præcepta qui-
" bus obedirent pro ratione tem-
" poris diverſa a Deo nude tradita
" fuerunt, nulla etiam promiſſione
" primitus addita juſtificationis.
" Aliquos vero hac fide etiam ante
" Chriſtum juſtitiam obtinuiſſe *A-*
" *brahami*, & *Phineaſi*. Exemplis
" probare ſatagunt.

Vid. Smalc. Reſp. ad Nov. Monſt. c. 27. f. 248. & Diſput. 4. Cont. Frantz.

XXVI.

XXVI. *Non mirum videri poteſt, ſi hi juſtitiam quæ ſit ſecundum humanum modulum, & Legem quam nos perfecte impiere poſſumus, & ex ea jus poſtulandi præmii acquirere, in ſcenam Theologicam inducant.* "*Juſtificari* enim a Deo, *ait Socin.* " nihil aliud eſt, quam a *Deo juſtus* " *pronunciari*, id quod certe fieri " nec eſſeeſt quum Legis quam dedit " præcepta Servantur qualiacunq; " tandem fuerint. Hanc & hac in " vita non contingere docent, ſaltem " non plenam, qui enim ad priora " peccata revertitur ab ea deficit; & " reipſa Præmium Ipſum, e morte " liberatio, & ad vitam æternam re- " ſurrectio vera eſt juſtificatio, iis " qui ſe jam obedientes præſtiterint " demum peragenda. Viam quidem " ſalutis & juſtitiæ ingrediuntur " quotquot Chriſti veſtigiis inſequ- " untur, & illos eadem laboris meta, " idem finis manet: & hoc ipſo cælo "deſtinati & libro vitæ inſcripti cen-

 " ſeri

" ſeri debent non tamen abſq; *Con-*
" *ditione* quamdiu vivunt.

Hæc, in Equ Pol. Apol. Socin. de juſtif. P. 77. Clopp. Tom. 2. c. 7. Sect. 1. Catech. Racov. p. 205. Socin. de fid. & Oper f. 60. invenies.

XXVII. His nihil aliud addam quam Eorum dum veritati fucum facere & verbis ſpecioſis illudere ſtudent contradictiones (hac in re) apertas, *Obedientiam* Chriſti *nobis imputari* negant, per Eam tamen *noſtros defectus ſuppleri* aſſerunt: & obedientiam noſtram eſſe imperfectam concedunt, *Conditioni* tamen ſalutis per Chriſtum dictæ reſpondere, *Legem Evangelicum* qua nulla unquam perfectior extitit, implere contendunt: & quidem adeo plene, ut non niſi propeccatis ante fidem patratis veniam orare neceſſe, habeamus.

Vid. Equ. Polon. Apol. & Crell. in Ep. ad Rom. ad illa verba, juſtus ex fide vivet.

XXVIII.

XXVIII. Hucusq; ex *Socinianorum* mente loqui intelligendi sumus. Sunt vero hæc crassa adeo, & absurda ut ea indicasse sit refutasse, suntq; veritati certissimæ, a nobis prius propositæ contraria; *Socinianos* ergo cum Ethnicis committimus, hisq; ab illis prius satisfaciendum est quam nobis quid hac in parte incumbat. Ex his illa quæ limarunt *Arminiani*, & de novo pro suis procuderint, indicabimus, iisq; veritatem communem & pro Orthodoxa habitam opponemus.

XXIX. *Arminium quidem longe è tergo reliquerunt qui ejus vestigiis insecuti ab illo nomen accipiunt, & discrimen in aliquibus ex iis quæ dicenda habemus patebit, ad nostram rem vero magis pertinere ea quæ uno & pleno ore docent deprehendas.* " *Jus* Dei *Naturale*, quod in ipsa " Natura Divina fundamentum " habet & requirit ut ea tantum " nobis præcipiantur quæ Naturæ

 " Divinæ

" Divinæ & noſtræ conveniunt, &
" prohibeantur quæ illis repug-
" nant, *docent*: *Legem*que *Natura-*
" *lem*, (quam Juri huic inniti
" malo animo & ſcopo aſſerunt,)
" quam Deus menti hominis in
" prima Creatione indidit, quæ
" ratio recta eſt, quæ dictat quid
" faciendum ſit & quid fugiendum,
" & quidem tanta cum oblagatione
" ut ſecus facientes morte dignos
" pronunciet, *Rom.* 1. 32. *agnoſ-*
" *cunt.* Hæc vero *Naturæ* Lex
" non *proprie ait. Limb.* apud
" *Adamum* Legis Officium exer-
" cebat, cui ille obedire aut non
" obedire poterat, ſed ſtimulus
" tantum fuit & *Inſtinctus Natura-*
" *lis*, ad faciendum quod licitum
" erat; infantium inſtar. *&c.* Et
" antequam ei Lex a Deo poſita
" erat inordinate nec concupiſceret,
" nec poſſet. Imaginem Dei ho-
" mini ex gratia conceſſam in vera
" agnitione Dei & Divinorum,
" vera ſanctitate & juſtitia in Lege

&

" & Spiritu Dei quo gaudebat, &
" quo ad imaginem Dei & ſimili-
" tudinem glorioſam tendebat ho-
" mo, collocat *Armin. ipſe.* Sed eam
" *Limb.* in ratione cujus miniſterio
" fraude ac dolo viis ac modis vi
" & armis omnia ſibi ſubjicere
" (adhuc) poteſt homo quin &
" corpora cæleſtia uſibus ſuis in-
" ſervire facit, utq; in mirabili cor-
" poris fabrica elegantiq; figura
" ſitam fuiſſe & eſſe vult. Quod
" tamen Dominium rectitudine
" & æquitate circumſcriptum vo
" luit Deus.

Hæc in Limborch. inſtit. lib. 5. *c.* 1. *ſect.* 3. 4. *& lib.* 2. *c.* 24. *ſect.* 4; 5. *& Armin. Diſput.* 7. *ſect.* 7, 8. *leges.*

XXX. " Legem hanc natu-
" ralem Deus utpote in Natura
" ſuâ quæ immutabilis eſt, & recta
" Ratione fundatam mutare ne-
" quit, nec Homines ab illius ob-
" ſervandi obligatione abſolvere.
" Hæcq; Lex præſcribit perpetuam

 " obe-

" obedientiam ſine ullâ interruptione ulliuſve Præcepti Violatione. Ejuſq; eſt tantum Officium præſcribere & Tranſgreſſoribus denuntiare Pœnam. Hancq; Legem *Arm.* Immutabilem vivendi normam, expreſſam Imaginem conceptus divini, ſecundum quem ut Creatura rationalis Vitam ſuam totam ſemper, & ubiq, inſtituat fas & æquum eſſe judicat *Legiſlator*, eſſe *decet*. Eſtq; hæc, quod omnes norunt, præſtitu impoſſibilis; ob eam vero non præſtitam aliquem maledictionis Reum peragi *negat Limb.* nos *ſc.* in Miſeria, cui ex Natura obnoxii ſumus, relinquit. Quod ſi verum ſit Naturæ Lex nulla eſt: non enim dari poteſt Naturæ (ſenſu quo loquimur ſumptæ) Lex quæ nos Miſeriæ jam obnoxios & naturali quadam Conſtitutione ſubjectos remediare ſibi proponat; Aurei inſtar. Freni noxios Naturæ impetus cohi-

cohibere, aut Medicinæ instar Salubris Naturæ Vires aliquanto augere valet talis Rationis dictatus, at quæ naturale malum & miseriam tollit sola est Gratia, hæcq; sola Hominem etiam in primæ vo statu è Morte salvum præstaret: quod & vellent adversarii tum *Sociniani*, tum *Arminiani*: Hæc tamen talis qualis Ratio & Lex non amplius Lex est dicenda quàm non præstantem maledictioni subjicit. Nec ergo *Adamo*, nec ulli alii Homini proprie Lex fuit.

Hæc vide in Limb. lib. 5. c. 1. sect. 6. & lib. 3. c. 9. sect. 14, 20. & Armin. disput. 12. sect. 3.

XXXI. *Illi ergo (ut putem) omnes Legem minus stricte sumptam, aliam, ex qua Justitia, Salutis Conditionem nobis positam esse contendunt.* " Novum, ait *Limb.* Fœ-
" dus, quod ut omne inter inequa-
" les proprie Lex est, Conventionem
" inter Deum & Hominem qua

Deus

" Deus Lege lata ab Hominibus
" aſtipulatur Obedientiam addita
" Promiſſione ſui favoris: Homo
" ab altera Parte Obedientiam
" Fœdere præſcriptam promittit
" & remunerationem ex forma
" Fœderis expectat, *docent*. Etenim, ait *Arminius*, Hominibus
" lapſis quibuſcum ſtricte & ſecundum rigorem agere non voluit Deus Decreto peremptorio,
" Lex Naturæ ipſorum conveniens præſcribenda fuit. Seu potius ipſe Naturæ Lex ſecundum
" ἐπιείκειαν non ſecundum ſtrictum
" rigorem, ait *Limb*. hunc enim abolevit Deus, poſtulatur. Nec jam
" cum rigore exigitur Obedientia,
" ſed æquitas & ἐπιείκεια locum habet, hocq; reſpectu vocatur
" Gratia opponiturq; legi. Chriſtus enim, ait *Arnold*. effuſo ſuo
" Sanguine Deo reconciliandi
" Mundum & de novo cum Hominibus paciſcendi jus impetravit: meruit, ait *Armin*. Chri-
" ſtus

" ſtus ut nos mereamur, & impe-
" travit Salutem quam nos pro-
" pria Juſtitia conſequamur. Deuſq;
" quo, ait *Grevinch.* Obedientiam
" exigere Jus illi reſtaret, Facultа-
" tem credendi nobis conſervavit
" contulitq;: et certe eam, ut *Re-*
" *monſtr.* Obedientiam præſtandi,
" quæ *N.* Fœdere exigitur, Vires,
" potentiam *ſc.* credendi & ex
" peccato per Reſipiſcentiam re-
" ſurgendi *Adamus* non amiſit.

Vid. Limb. lib. 3. cap. 9. Sect. 21. & cap. 7 Sect. 2, 3. cap. 16. Sect. 8. & Arm. Artic. perp. de Creat. Sect. 4. & diſput. 12. Sect. 16. & diſp. 48. Sect. 5. & Ep. ad Hippolyt. Arnold. Epiſt. ad Walach. f. 32. Grevinch. cont. Ames f. 184 Remonſt. Act. Synod. Declarat. Sentent. ad Artic. 3, 4. f. 80.

" Deus ergo Jeſum Chriſtum
" filium ſuum propoſuit ait *Ar-*
" *min.* tribunal Gratiæ ſive pro-
" pitiationem per fidem in ſan-
" guine ipſius. Inito *N*, ut *Ar-*
" *nold.* & gratioſo fœdere cum ho-
" minibus

" minibus Deus, gratiæ ostium
" denuo pœnitentiæ ac veræ in
" Christum fidei *Legem* adaperuit.
" Hacq; fide ait *Armin.* nos
" coram Deo justificamur, absol-
" vimur a peccatis, & justi cense-
" mur, pronunciamur, declara-
" mur a Deo de gratiæ tribunali
" sententiam ferente. Fideq, ait
" *Arnold* hic considerarur tan-
" quam *Lex*, *Postulatum*, & *Con-*
" *ditio*, quam debemus præstare
" ut propositum præmium justi-
" tiæ consequamur. Fideiq; ait
" *Grev.* ad justitiam vel pro justi-
" tia liberali ac munifica imputa-
" tione, gratiosa dignatione ac
" æstimatione *Legem* hanc Fidei
" præstantibus ex fœdere Evan-
" gelico *jus ad* impetratam salu-
" tem oritur. Deus enim ut *Re-*
" *monst.* qui in *Fœdere Legali* ex-
" actam mandatorum suorum obe-
" dientiam exigebat, nunc in fœ-
" dere Evangelico, Fidem exigit,
" & illam gratiosa æstimatione ha-

" bet

" habet loco *Legalis Obedientiæ.*
" *Arminio* ipsi hæc Dei Judicis de
" Throno Gratiæ peccatorem jus-
" tum pronunciantis Actio non
" minus justa est quam Gratiosa:
" licet enim Deus ut Supremus
" Legislator de Lege sua dispensa-
" vit, tamen non ex absoluta in-
" finitæ potestatis plenitudine dis-
" pensationem administravit, resi-
" piscentiam vero & fidem exigens
" inter justitiæ limites sese conti-
" nuit: *hæc cum thesin de justif.*
" *ederet*; *alibi vero, Fidem, Sine*
" *decreto* quo salutis conditio defi-
" nitur ad eam, *non esse necessari-*
" *am* imo inutilem esse asserit: Et
" ex ipsis alii fidem ex placito im-
" positam esse docent. Potuit Deus
" nos pro infinitate potentiæ abso-
" lutæ Sine ulla Fide justificare. Po-
" tuisset Deus, ait *Grevinch.* si sapi-
" entiæ suæ ita visum fuisset, ope-
" rarios Judæos vel alios quam
" fideles eligere, quia potuit aliam
" salutis conditionem quam fidem

" in

" in Christum exigere : & fidem
" salvificam in Deum (jusq; Pro-
" missa non in Mediatorem termi-
" nari, nisi ex eo Tempore ex quo
" exhibitus fuit, communiter sta-
" tuunt, cum cæteris *Arminius*
" Ipse.

Vid. Armin. decl. sent. Op. p. 127. *& Ep. ad Hippolyt. & disp.* 44. *sect.* 3. *Resp. ad* 31. *Artic.* 4 *Op. p.*140. *& Artic. perp. de Justif. sect.* 22. *Arnold. Ep. ad Wal. f.* 32. *& cont. Gomar. f.* 35. *Grevinch. c. Ames f.* 7. *&* 150. *Remonst. Resp. ad Ep. Wal. p.* 86.

XXXII. " *Fœdus Naturæ cum*
" Adamo *initum fuisse* negat *E-*
" *piscop. & cum eo* Remonstrantes.
" *Vetus, & Legale, (quo nomine*
" *cum* Socinianis Mosaicum *intel-*
" *ligunt,) Fœdus inter & novum*
" *easdem discriminis rationes affe-*
" *runt; aliquas vidimus:* Fidem
" *sc.* in Christum jam demum
" præcipi, perfectam Obedientiam
" tunc exactam fuisse, Legem
" tamen perfectiorem quæ ipsas

" Mentis

" Mentis concupiſcentias vetet &
" Sanctitatem diviniorem jubeat,
" nunc dari, plenam Peccatorum
" Remiſſionem, Vitam æternam,
" Spiritus Sancti donum nunc de-
" mum Fœderatis promitti: &
" nos poſſe novam hanc Legem
" perfecte ſervare, & ex ea Juſti-
" tiam conſequi, talem vero quæ
" pro deficiente aut ſeſe reſtituente
" Fide tollitur aut renovatur,
" nec niſi ad Vitæ exitum Finem
" habet & complementum & ipſi
" docent, nec niſi in Explicationis
" modo à *Socinianis* paulo diſſen-
" tiunt.

Vid. Epiſcop. *Inſt. Theol. lib.* 2. *c.* 1. *Armin. ad* 31. *Artic.* 11. *Op. p.* 151. *& diſp.* 13. § 6. *p.* 271. *Welſing. de offic. Hom. Chr. fol. D.* 4. *Epiſcop. diſp. de Conv. & Diſcr. V. & N T. theſ.* 5. *&* 20. *& diſp. priv. de fœd. vet.* 13. *theſ.* 5. *& diſp.* 14. *theſ.* 8. *Armin. Rtſp. ad* 9. *Q. ſect.* 9. *& diſp.* 48 *ſect.* 12.

XXXIII. Hactenus *Arminianorum* de *Lege* Mentem & Opiniones expoſuimus. Et hi *nullam Naturæ rationalis Legem proprie dictam* cujus Ratione Deo grata, fœlix eſt & beata, vel ſanctiſſimo Numini diſſimilis & contraria, miſeriæ ſubjecta eſt, agnoſcere cenſendi ſunt. Qui omnes Fœdus Gratiæ ad Exemplum Fœderis *Moſaici* componere ſtudent, & abolito rigore, ejus Partes inter ſe quadrare volunt, & plane novum Operum, imperfectorum licet, Fœdus erigunt. Et Legem minus ſtricte ſumptam, & ſecundum ultimam & myſticam Dei Intentionem, *Limb.* ab Evangelio non differre niſi clarioris & ut minus clare Revelationis, expreſſe aſſerit. Illius ergo Fœderis Rationes ſcopumq; indicare Operæ Pretium eſſe ducimus. Hicq; videtur ſuiſſe. Cum ex lapſu ſuperbum eſt ingenium humanum & propter Dona quædam & Umbras quaſdam Virtutum mirifice

fice ſibi placet & blanditur, nec agnoſcit ſua Sponte ingentia Vitia quibus laborat, multo vero minus cognoſcit internam Cordis pravitatem, novas Religiones & ἐθελοθρησκείαν fingere aptum: Iconem ergo veræ Virtutis, Delineationem internæ & exterræ Probitatis, & Exemplar Sanctitatis, quæ Deo digna ſit & Demonſtratio unicæ illius Viæ qua Creaturæ rationali ad glorioſam cum Deo Communionem pervenire fas ſit, Legem moralem exhibuit, novaq; Authoritate ſancivit: Placitaq; addidit non bona oneroſa & obſervatu difficilima quæ ſimul in vim Fœderis tranſiverunt. Eaq; Facie, illa indutam Specie eam promulgavit Deus ut, Imaginem Fœderis Operum non male dixeris, fuitq; revera Juris divini διάτύπωσις, Fœderis operum Ἀνάμνησις; quotidiana perfidiæ exprobratio. Ejus Formula, deſcribente *Moſe*, quæ & ſæpius repetita fuit: Qui *fecerit ea Homo vivet in iis*: & audita

eſt Vox & crebris Comminationibus ingeminata fuit, *maledictus omnis qui non præſtiterit omnia verba hujus Legis*: hinc *Judæi* ad Conſilium Dei non ſatis attendentes hoc pro tali amplexi ſunt atq; ex eo quæſiverunt Juſtitiam. Fuit vero hæc Lex ſancta, juſta & bona ad Vitam conferendam in ſe apta nata, *Mat.* 19. 17. *Act.* 7. 8. *Rom.* 7. 10, 12. Ex ea tamen juſtificabatur nulla Caro, & ſi ex Lege fuiſſet Juſtitia, irrita fuiſſet facta promiſſio Antiquior, imo & fruſtra fuiſſet mortuus Chriſtus. Cui ergo bono inſerviiſſe, quem in finem eam adhibuiſſe credemus Deum? niſi ut ſuam Iram, Legis, ſub qua nati ſumus omnes, Vim & Vindictam, noſtramq; Vitioſitatem illis revelando, Gratiam ſuam & promiſſa eos recti æſtimare, avideq; amplecti cogeret. Hinc bene dicitur, hanc ſervare juſſit Deus non quod id præſtare poſſent, ſed ut experiendo diſcerent

rent quid non pſſent. Conſulat benignus Lector; Cl. *Burman. Syn. Theolog. lib. 4. loc. 18. & Limb. Inſtit. Chr. lib. 3. c. 9. ſect. 22:*

XXXIII. Sed ut redeamus in Viam; Rationes contrarias & quæ, Legem Naturæ non ita abrogari ut plane in ejus Locum alia ſuccedat, probant allaturi, quo controverſiæ nodus veruſq; ejus ſtatus magis pateat, quouſq; ab utraq; parte convenitur, oſtendemus.

XXXIV. Fœdus Operum abrogatum eſſe, nec nobis Deum Legem Naturæ, pro Vitæ Conditione de novo ſancire quis dubitat? Cum enim huic ὑποδείγματι ſubjecti ſumus, nec eam penitus præſtare valeamus, Obedientiam quæ illi ſatisfaciat à nobis ſub Spe boni exigere eſſet noſtri Infirmitati illudere. Legis (aliquam) præſtationem nobis adhuc incumbere, & ejus promiſſa & minas ad nos pertinere utriq; ſuas ob Rationes credunt.

dunt. Illi, quod Legem nostra Impotentia abrogatam in suas manus sumsisse Christum eo fine ut eam cum Gratiæ Temperamento renovaret primævoq; usui restitueret, statuant; Orthodoxi, quod ejus præcepta sint Juris apud Creaturam rationalem immutabilis, promissaq; Præmia Justitiæ gratis in Christo donentur, minata vero Pœna Peccatorem cui non fit Gratia, Necessitate quadam Naturæ deprehendat. Hasq; omnes Legis Partes Christum clarius, quam ex lapsu cognitæ erant, explicuisse, novisq; Rationibus firmasse indubium est. Hinc & Christum posse sano Sensu *Legislatorem* dici, & Evangelium Legem docent optimæ inter Orthodoxos notæ Viri. Cl. *Turret.* hæc habet, *Legis præcepta renovavit Christus, eamq; pristino suo nitori restituit, cum hominum malis moribus fuisset pœne antiquata, & novis Rationibus & motivis illustravit sanxitq;* 1 Joh. 4. 11.

Idem

Idem alib. afferit, *nihil obſtat Chriſtum dici Legiſlatorem* ſecundario, & minus principaliter, *tum quia fuit Reſtaurator & Vindex Legis, tum quia Rex eſt & caput Eccleſiæ ſuæ, Regum autem eſt Leges condere; & Doctrina Chriſti ſuam etiam habet Legem, quæ fidem & obedientiam vitæ nobis præſcribit, quo ſenſu Lex ſubordinatur Evangelio, & Evangelium ipſum vocatur Lex Fidei, Lex Regia Libertatis, Lex Spiritus & Vitæ.* Et *Cl.* Cloppen. hanc Aſſertionem pro Orthodoxa agnoſci docet, *ſi nom.* Legis Generaliter *pro Doctrina accipias, Evangelium Chriſti eſſe Legem*: & *ſub* Schemate Legali proponi, & *ab illo Legem Fidei appellari* ipſe docet. *Evangelium enim, ait* Id. *aliquando notat univerſum Canonem miniſterii, etiam Legis pædagogiam complectitur, quâ via paranda eſt & prudenter munienda Evangelicæ Exhibitioni Chriſti, ne detur ſanctum*

canibus

canibus & objiciantur Margaritæ porcis, Mat. 7. 6. *qua Notione manifeste accipitur*, Rom. 2. 16. *hæc ille.* Imo & in tota hac materia iis Verbis uruntur ex Orthodoxis aliqui quibus Adversarii se exprimere non graventur. Qui tamen, ut putem, omnes cum de Vitæ Conditione et præmii obtinendi postulato ex quo præstito Jus oritur, agitur, Christum meritum & Justitiam nostram confitentur.

Vid. Doct. D. Owen in Heb. c. 4. v. 1, & 2. & passim. & Cl. Turret. Vol. 2. loc. 11. qu. 3. § 23. & loc. 18. sect. 8. Clop. Tom. 2. p. 174, 302, & 303.

XXXV. Quæstio ergo sit: An Lex Naturæ (seu Operum quam Phrasin illi malunt) à Gratia temperata, Evangeliiq; οἰκονομία interpretata & dispensata, nostris Viribus (juvante Spiritu) accommodata sit, & fiat Lex ex qua plene præstita nobis *demum* ad præmium oritur

oritur Jus? An vero Lex Naturæ sit immutabilis norma Sanctitatis, ad quam plene præstandam niti tenemur, ex qua, ob defectus nostros ad veram coram Deo humilitatem nos fingere debemus, ob quam à Domino nostro impletam, Spem certam & jus validum ad Salutem tenent qui per illum Deo reducuntur? Posterior hæc Orthodoxa Sententia tribus præcipue Rationibus nititur. Ex *Morte Christi*, & *Satisfactionis*, quam reddidit, *Veritate* Legem Naturæ *non abrogari aut dispensari*; ex *Natura Fœderis gratiæ, eam* (suo Sensu) *stabiliri & de novo confirmari*; & ex *fidelium Salutis certitudine, & ad eam Jure, & Justitiâ, novam Vitæ conditionem Legemq; non dari* probant. Et nos ex Christi Exemplo, hortatu & jussu, ad plenam cum Deo Conformitatem ut aspiremus & nitemur, obligari docent.

XXXVI. Et primò ex *Morte Christi, ejusq; Satisfactione* Legem Naturæ

Naturæ *non infirmari docent* Orthodoxi. Adversarii quidem Christum Justitiæ divinæ satisfeciſſe negant: eamq; vel plane tollunt, & puram liberalemq; Remiſſionem adſtruunt, & in eo mortis Chriſti vim collocant quod eâ nos Deo reconciliavit, qui à *Socinianis* non differunt, vel Juſtitiam aliquam cum Gratia temperatam docent: *Arminius* ipſe in *Theſi de Juſtif.* Deum Satisfactionem ex Juſtitiâ poſcere vult, in Articulis vero perpendendis ita à Chriſto Juſtitiæ divinæ ſatisfactum fuiſſe ut Legi tamen *non ſatisfaceret*, ſtatuit. Docent ergo peculiare pactum inter Patrem & Filium interceſſiſſe, quo Vicariam aliquam Pœnam ſuſcepit Filius, quam propoſito honoris præmio exegit, paſſam acceptilavit Pater, & ita Juſtitiam cum Miſericordia temperavit, & *Voluntati divinæ* ſatisfecit Chriſtus. Fuitq; tota hæc Res voluntaria, à Deo jam reconciliato peracta,

peracta, imo, ait *Limb.* ex eadem illa Voluntate fluit sufficitq; qua victimas *V. T.* ad expianda minora Peccata admisit Deus. Quæ si vera sint non video cur non cum *Socinianis* plane faciant, & hos mortis Christi solos Fines agnoscant; sibi *sc.* in Cœlo & in Terra Potestatem, nos è morte liberandi, & Immortalitate donandi, in quo consistat Expiatio, Facultatem impetrasse; & Sanguine suo Fœdus Gratiæ sanxisse; ὑπόδειγμα interim, quod agnoscit *Crellius*, seu Pœnæ aliquod Repræsentamen factus, victimæ instar piacularis peccata bruto quodam modo sine vera Pœnæ Ratione ferens; & revera quod ex sola & liberrima Voluntate fluit ad nil aliud aptum est. Hinc & *Sociniani* cum divinæ Voluntati satis feciſſe Christum asserant, ridiculo hoc Sensu id faciunt, quod Pater plus non exegit quam Filius reddidit, nihil *sc.* postulavit. At ponamus *Arminianos* de Voluntate

pœ-

pœnam determinante loqui,& veram VoluntateVicariam licet & à pura definitam pœnam agnoſcere,& hæc pro conceſſis habeamus. At niſi abdita Dei Decreta & latentem Voluntatem rimari pertendent & ipſi, ex SS. Stylo loquantur, & eandem Voluntatem quam *Pſaltes* hac de Re canens denotat & ipſi agnoſcant. Illa vero eſt quæ veram peccati Condemnationem requirens quam victimæ Legales efficere non valerent, Chriſtum & verum Corporis ſui Sacrificium per æternum Spiritum, offerendum ad ea expianda poſcebat. Fuit vero hæc non libera & *indifferens Voluntas*, de qua loquuntur illi, ſed Juſtitia; Voluntas enim, quæ vult acceptilat, & victimas Legales veræ expiationis loco tulit, hæc vero his non contenta, eum qui ab Ævo pro peccatis poſitus fuit, exigebat & ad Pœnas vocabat. Et hanc Dei Voluntatem, hoc Patris Præceptum memorat Chriſtus, ut Vitam

tum pro ſuis daret quod pro Antilutro, *i. e.* proprio Redemptionis pretio habet *S. S.* Ex quo voluntatem illam Dei, & quod illa exegit, ſcies, quam ex opere quod ſubiit & perfecit Chriſtus? hoc vero fuit ut ſub Lege natus factuſq; ſuos ab illius Execratione redimeret, & ſeſe paſſionibus Conſecrans filios in Gloriam introduceret, opus quidem Deo gratum & Glorioſum. Ad pænam quod attinet hanc proprie dictam in Chriſti morte agnoſcunt, malem miſeriamq; Reo hominl debitum in Chriſtum intuliſſe Deum, Chriſtum pro nobis pænas perſolviſſe; & Deum in eo ſuum peccati odium monſtraſſe affirmant. At nulla eſt pæna quæ non ſit vindicta noxæ, Legi pænam repoſcenti debita ſoluta: & hanc negant. Et nullum eſt peccati odium quod Legem in quam peccatur non vindicat. nec quis pænam peccati & odium tuliſſe dicendus qui juſtitiæ non ſatisfecit.

Quid enim aliud eſt in Deo Juſtitia quam ſanctum Divinæ Naturæ conſtanſq; propoſitum quo Legem ſuam ſanctam & bonam ſartam tectamq; tueri, Eamq; nec fruſtra minari nec impune violari *vult* Deus? & qui voluntati Divinæ ſatisfeciſſe Chriſtum re verâ concedit non eſt quod Divinæ juſtitiæ ſatisfactum fuiſſe recuſet. Hujuſq; Sanctitatis & juſtitiæ ſenſum Conſcientiæ impreſſit Deus, hæc Rei iratum numen ſub oculos ponit, ab illo arcet abigitq; divinamq; vindictam fatali quadam neceſſitate & certo pede fontes perſequi certe crediderunt qui malæ Conſcientiæ furiis agitati Deam nemeſin Αἰσχυν anxie adeo placarunt. Hæc nos Deo aliquo qui Numen inter & nos miniſtraret, cælumq; terræ uniret, indigere vel ſola deprehendit vel traditum amplexa eſt; & ſacrificiis luſtrationibus innumeriſq; aliis modis Deum placare urſit ſtimulavit. Ad quam vero

juſtitiam

juſtitiam horret mens conſcia niſi Divinam, cujuſve Legis vindicias agit niſi illius quæ nos a Naturæ debito & fine degeneres arguit. Ex hac ergo Lege peccatores, hujus execrationi obnoxii, vel huic ſatisfeciſſe Chriſtum, & ab ira hanc vindicante nos morte ſua & pœnis redimiſſe dicendum eſt, vel nulli; nec ergo Naturâ pecccatores cenſendi ſumus; at quicunq;, ut D. *Auguſtinus*, non putanrur pertinete ad eos omnes qui peccaverunt & egentGloria Dei,ab ira Dei juſtiſſima Redimendi, nullam neceſſitatem habent ut fiant Chriſtiani, non enim venit ille vocare & ſalvare juſtos ſed peccatores; non ergo niſi qui Legem Naturæ nos ſub reatu tenentem tollit, veram ſatisfactionem reddidiſſe Chriſtum ut neget neceſſe haber. Hujus ergo maledictionem tulit Chriſtus, *Gal.* 3. 13. mortis poteſtatem ſuſtulit, *Heb.* 2. 14. ab ira nos erepit, 1 *Theſ.* 1. 10. in illo propitiati.

onem & placamen accipimus, *Rom.* 8. 11. Condemnationem effugimus *Rom.* 8. 1- pacem habemus, *Rom.* 5. 1. Ipſe enim Pax noſtra eſt, *Eph.* 2. 14. Lex ab accuſatione removetur, peccato in Eo, qui pro peccatis erat, condemnato, *Rom.* 8: 4. At vero vix minus abſurde dicitur Chriſtum motte ſua illam abrogaſſe ; Deumq; Eam in poſterum abolere, Legi ſubjectum fuiſſe Chriſtum ut illa laxaretur tolleretur. Quænam hic obtinet Ratio ? quæ fuit neceſſitas ? Qua vi quave Gratia hoc effectum tulit mors & ſatisfactio Chriſti ? Diaboli opera quidem moriendo devicit ſuſtulitq; Chriſtus ſed non ita Dei opus Legem Sanctam. Si de jure ſuo remittere & Legem illam laxare tollereq; voluit Deus & jure potuit, quidni & hac in parte de eodem diſpenſaſſe eadem licentia dicas ? *Crellio* ſatisfaciant Adverſarii. Ille certe cum docuerat Chriſtum morte ſua Legem

(quam ille quidem *Mosaicam* intelligit) abrogasse (Legemq; Relaxasse concesserat *Grotius*) ex eo nec hujus vi mortuum fuisse Christum deducit. " Quomodo " ergo fieri potest, ut Christus " ideo moreretur ac peccatorum " pænas lueret ne Legi aliquid " Auctoritatis apud nos detraheret " pænarum omissio, cum Eam " Legem Deus ipse per Christum " ejusq; mortem abrogavit atq; " ejus vim atq; Auctoritatem in " posterum sustulerit? ? Quorsum " enim Auctoritas illius Legis sta- " biliretur pretioso Christi " sanguine nisi ut in posterum rata " esset? Nec video quo jure quave rationis specie Legis rigorem (i. e. perfectionem, veramq; Naturam *Jac.* 2. 20.) aboluisse Christum dicunt Adversarii, fœdus quidem operum in se tulisse & quod ad nos sustulisse & ipsa docet Ecclesia Orthodoxa.

Vide Armin. disp. 44. Sect. 3. & Artic. perpend. de justif. Sect. 1. 2, 5. Limb. Inst. lib. 3. cap. 10. Sect. 4. & cap. 22. Sect. 5. Episcop. disp. 6. de Op. N. Creat. & Redemp. Thes. 1. Aug. de Nat. & Grat. cap. 1. Crell. Resp. ad Grot. cap. 1. partic. 57. & cap. 3. part. 7.

XXXVII. Quid ergo Conscientiæ desiderio melius satisfacit, ejusq; miseriam magis sublevat quam Communis hæc & pro orthodoxâ agnita sententia? Primum fœdus immutabile Dei jus ac sanctitatem testabatur. Eamq; Amicitiæ Legem tulit, *quæ* Sola Deo digna est, quam aboleri aut potestate sua exui nec jus Dei nec fœderis jam lati ac confirmati inq; vim Legis inviolabilis redacti ratio sinit. Mediator ergo utriusq; Naturæ particeps, Deum inter & hominem intercedit, soluſq; ad Deum accedit, Εἰρηνοποιὸς salutis pacisq; Arbiter, fœderatorum dominus ac Princeps. Hic ergo hujus Legis conditiones implevit, Geminam qua tenebatur peccator

peccator obligationem exſolvit, & Bona omnia illius fæderis nobis acquiſivit. Salutis meritum, ſe procurante: in Chriſto extare revelat Deus. Legem ergo Doctrina fidei ſtabilimus, δικαίωμα νομὶς id quod Lex exigit quo vitam addicat in nobis impletur, *Rom.* 8. 4. Chriſtus eſt nobis finis Legis i. e. vita ad quam conferendam data Lex *Rom.* 10. 4. in illo noſtra vita & qui illum habent vitam habent, 1 *John* 5. 12: Quos in familiam ſuam adoptavit ſuo jure cælo donat. Nec hujus Legis præcepta plenius præſtitit quis quam Chriſtus aut fortiori vinculo ſuos illi obligavit. Charitas, Dei & Proximi dilectio, univerſum eſt Legis compendium: quis vero tantam Deo Gloriam conciliavit, Deum amandum ſimul & verendum adeo exhibuit quam morte ſua Chriſtus; & qualem in nos geſſiſſe Animum, quanto pro noſtra ſalute deſiderio flagraſſe putandus eſt, qui noſtro loco ſeſe poſuit,

ſuit, & nos a tanta morte ſeſe ſubſtituendo liberavit. Hocq; eo animo & fine ſubiit ut nos Deo redderet, ad imaginem & ſimilitudinem Dei renovaret, cæloq; tandem redonaret. Et qui Chriſti ſunt, tum ut Creaturæ tum ut redempti Deum Creatorem & Redemptorem ſuum æternum colere & amare tenentur, & regiam Amoris & Chriſti Legem inter ſe implere: 1 *Joh.* 4. 11. *Gal.* 6. 2. *Joh.* 13. 34. *Epheſ.* 4. 32. 1 *John* 3 11. Naturæ ergo Legi Divinæ, hujuſq; violationem vindicanti juſtitiæ ſatisfecit Chriſtus, nec tamen eo fine ut illam abrogaret, Eam vero confirmaturus novaq; vi & ratione Sancituru.

Lege Cl. Burman. Syn. Theol. Vol. 1. *Lib.* 2. *cap.* 13.

XXXVIII. Secundo vero loco, *Novum cum hominibus fœdus*; quod novam & rebus noſtris haud integris

integris attemperatam Legem, pro formula ſua haberet, cujus novum διάταγμα conditio & pactum ex quo præſtito novum nobis meritum & jus ad vitam oritur, non dari docet probatq; Eccleſia Orthodoxa. Præcipuum, quod ſciam, Adverſariorum argumentum ex fœdere *Moſaico* quod novum cum lapſo Homine operum eſſe fœdus volunt, petitur, huicq; reſponſum videmus: Nec tamen rem noſtram attingit, cum fatentibus adverſariis, ſuâ Naturâ non niſi ad Benedictiones terrenas juſtos reddidit; *Iſraelitis* typicoq; Eccleſiæ Statui hoc ſenſu proprium: Nec ex vi fœderis, ſed ex Gratia Dei graviorum peccatorum plenam Remiſſionem, vitamq; æternam (fœderis de quo loquimur nos promiſſa) conſecuti ſunt Patres. Sententiæ vero Orthodoxæ rationes ut pateant, obſervandum eſt: illud Dei cum Humano genere fœdus quod Legem omnibus accommodatam

Naturæ

Naturæ *Sc.* noſtræ coævam innatamq; pto formula habuit, & vera Animi bona promiſit, cum uno tanquam Parente & Capite initum fuiſſe. Talis cum Deo Fœderis Societatiſq; ineundæ ſubjectum eſſe non poteſt, niſi cum quo Communionem habere Deum ſinit ejus Sanctitas, cuiq; Vires ad ſtipulandam Obedientiam ſupplent, & qui Legem ob præſtitam poſtulandi præmii Jus ſibi acquirere valet. Talis fuit *Adam* cum in ipſis Mundi natalibus Deum meruit habere facilem & Amicum, & Patrem coluit benignum. Quam vero ab hoc mutatus eſt Homo, irato Numini obnoxius, averſuſq;, irritanti minantiq; Legi ſubjectus, tam indignus eſt quo cum Deus de novo paciſcatur. Et cum Sanctitas & Juſtitia Dei Legem cuſtodiat, vindicetq;: Lexq; ſit immutabilis Perfectionis exſcriptum & Imago vera; hæcq; in Sententiam Mortis tranſivit, nec ex ea nobis amplius Juſti-

ſtitia,

ſtitia, novum quod impetratam Salutem ſuis operariis conferret Fœdus qui ſtatuunt, hujus Gratia totam Theologiam *violare* neceſſe habent; & violant, Chriſtum humani Generis *ſecundum Caput*, alterum *Adamum*, eorum qui Vitæ Spirituali gaudent Patrem & Juſtitiam ſalutat S.S. Et in *illo* eſſe *Fœdus Dei*, in *illo* eſſe *Promiſſiones* Dei, & in *illo* conferri benedictiones, & ad *illum* ducere Lex, dicitur. Quod Gratiæ Conſilium & Voluntas illi in Fœdus fuit quod Morte ſua implevit, nobis fit Teſtamentum, & quod illi in præmium ceſſit nobis Jure Hæreditario obvenit. Nec hic obtinet niſi Lex & Gratia: una eſt Lex, ait D. D. *Melancth.* omnibus Gentibus & Ætatibus nota, unum eſt Evangelium divinitus revelatum. Et Legis eſt, ut bene *Limborch.* Officium preſcribere, & delinquentem punire; peccatorem vero abſolvere eiq; Vitam æternam dare

eſt

eſt Gratiæ. Quod clare adeo in S. S. docetur, ut *Crellius* ipſe agnoſcat, interdum ſimpliciter adſcribi Legi quod damnet, Evangelio quod abſolvat & juſtificet; & plura in hanc rem præclare addit quæ 2 *Cor.* 3, 6, 7, 9. *Rom.* 4. 14. *Joh.* 1. 17. *Rom.* 6. 14, 15. aliiſq; quos citat S. S. locis probantur. Gratia vero hic reſpicit bona, gratis promiſſa, gratis donanda, & ſi Fœdus hoc quatenus nobis datum eſt ſpectes, an promiſſum, an Promiſſionis aut Gratiæ Fœdus dicas idem eſt. Et ſane cum Spiritu Chriſti renovamur, hicq; ſit Fœderis Gratiæ Promiſſum & Donum, quo fœderati fiamus conceſſus, & omnes noſtræ (quatenus Spiritu nati) Vires à Chriſto in nos derivantur, hinc & nos non niſi in *illo* Fœdus cum Deo inire credendi ſumus. Hæc ipſi Adverſarii vident & quo eorum Vires repellant vimq; effugiant: *Sociniani* ad abſolutam pleniſſimamq;

mamq; Facultatem ad bonum æque ac malum liberam aptamq; *Pelagiani* ad liberum arbitrium per communem gratiam ad ſui diſpoſitionem ſuſtentatum recurrunt; et *Arminiani* facultatem omnibus, eo fine ut Deo a nobis obedientiam exigere jus reſtaret, conſervari, & quæ ab externo verbi auditu fidem concipiat, docent. Et cum vel habitus & qualitas credendi vel fidei facta Idonea, vel ex Legis norma & poſtulato perfecta obedientia, ſi quid noſtrum opus, materia juſtificationis & ratio formalis ſit ſtatuenda, & quicquid amplius requireretur eſſet vera Perfectio nobis præſtitu impoſſibilis: *Socinia*ni eximium aliquod opus & actaf Idonea pro hàc habent, & queis deeſt ad hæc tempus vere licet credentibus ſalutem negant: totius enim hujus rei explicationem ex ſua de Paſſionibus affectibu q; Divinis, noſtris analogis, Doctrinà petunt, & pœnam non niſi ab ira quam puniendi

niendi affectum appellant, infligi, & satisfactionem si ulla esset ab hac procedere debere volunt; & gratiam quæ nos justificet præmioq; afficiat, pro benevola affectione motuq; libero probitate aliqua majori excitando habent. *Arminiani* ex habitu & qualitatibus nos justificari modo contendunt, alias Legis præstationem, (quæ *Sc.* ex mente postulantis est æstimanda,) in Evangelio secundum ἐπιεικείαν postulari, & vires postulato proportionatas esse, adeoq; posse perfecte servari affirmant. Imo & fidem ipsam sæpius ita definiunt, ut non sit tam Obedientiæ propositum & conatus, quam ipsa Obedientia, hujusq; plenæ & perfectæ respectu vitæ mercedem nobis conferri asserunt. At vero Lex non judicat ex habitu sed ex operibus: Cum *Adamo* enim recto & sancto fœdus vitæ initum fuit, nec certe fœderis cum Deo ineundi capax erit, nisi qui pio hoc proposito & sincero

erga

erga Deum Animo, Deo obedire parato, jam præditus ſit, & huic ſi ex Lege juſtitia, & Præmia non ob aliena merita gratis donantur, ſed ob emeritos labores præſtantur, ponenda eſt ſalutis *Conditio* ob quam præſtitam illi adjudicetur præmium: hinc & ipſi adverſarii non tam fæderis ineundi quam fæderatorum conditiones docent, & qui Legem tanquam juſtam & bonam amplectitur fæderatus ſit, qui vitæ curſum ex ejus præceptis totum inſtituit juſtus & præmio dignus plærumq;. (Nec ex ſua hypotheſi male,) audit. At Legem imperfecta opera approbantem, Deum Obedientiam pro humano modulo juſtam pro plena juſtitia & veris meritis reputare & ad præmium acceptilare negat Eccleſia Orthodoxa: Et cujus meritis, hoc ſenſu et proprie ſumptis, vitæ & honoris immortale præmium obtinemus, cum illo fædus, cujus virtute & pacto id ſit, initum fuiſſe

patet. Non ergo ex nova Vitæ Conditione & Lege juſti cenſemur & præmia conſequimur, ſed ob Naturæ Legem à Domino noſtro impletam præſtitamq;.

Vide Limb. inſtit. lib. 3: c. 9. ſect. 14, & 21. Melancth. loc. Comm. de Evang. Tom. 2. p. 226. Col. 2. Crell. c. 3. partic. 7. Bert. cont. Sibrand. 69, 70, 74. Edv. Popp. Ang. Port. f. 28.

XXXIX. Ultimo vero loco & hoc quod omni Fœderi competit notandum eſt. Cum Legis finis ſit ut homini conferatur Jus ad Vitam & juſtus declaretur, & ad hoc conceſſis ſibi Viribus nititur Homo: Mutabilis hinc eſt & incertus ejus ſtatus probatorius, eſtq; demum poſt exactam præſtitamq; Obedientiam & emenſo curriculi ſui præſtituto Tempore confirmandus, & vel Cœlo ipſo & gaudiis quæ ſibi proprium habet admittendus, vel ad id Jure & Titulo immutabili donandus. Nec intermedio

dio Spatio Jure ad Vitam gaudet de quo ſibi gratuletur. Hoc de *Adamo* patet, nec, quod ſciam, in dubium vocat quis : Idem & de Homine lapſo docent Adverſarii : & ſi Fide Juſtificationem incipi & lapſu quodam graviori tolli dicant, improprie loquuntur; cum Juſtificatio nulla ſit ſine Confirmatione, nec ipſi aliam quam *conditionalem* intelligant. Qui *ſc.* Chriſto Fidem adhibens ejus Veſtigiis inſiſtit rectam ad Salutem Viam iniit, â qua ſi non deſiſtat ſed per totum Vitæ curriculum ea inſequi pergat, ceſſante periculo ad vitæ exitum juſtus laudem ac præmium feret. Hocq; eſt in tali Syſtemate quod adeo male habuit D. D. *Melancth.* alioſq; doctoſq, pioſq; Viros, ubi promiſſum præſtatur ob Obedientiam, ait ille, & Conditiones impletas, ibi eſt Lex & Animi Dubitatio. Novam ſane Obedientiæ faciem infert hoc Dogma, & Gratiæ Dei, præcipuis Chriſtiani Hominis Offi-

ciis & Juſtæ Spei injurium videtur. Et cum ſui Seminis i. e. Fidelium Nomine & loco mortuus eſt Chriſtus, & reſurrexit, & in Cœlis ſuo Sacrario Corporis ſui Sacrificium ſuaq; merita urget oratq;, ſuumq; exinde Spiritum iis communicat, hinc cum Chriſto Legi, Peccato, & Mundo mortui, Deo vivi, Cœli Hæredes certiſſimi, cum Chriſto reſuſcitati, vivificati, & cum illo in Cœleſtibus adeſſe dicuntur Fideles. Imo & eorum Præcurſor Chriſtus Cœlos intravit, iis loca & Manſiones parat, eorum Sacerdos ad Salutem è Cœlo appariturus. Eorum Caput eſt Chriſtus ad hoc exaltatus, et in illis formatur et habitat Spes Gloriæ, & cum illo Spiritûs Κοινωνίαν habent, eundem Animum divino afflatu inditum gerunt, eodem Spiritu vivunt deguntq;, hicq; ad Salutem eos obſignat, hæreditatis noſtræ arrha, paterni & non pœnitendi in Deo Amoris Symbolum & Pignus.

Pignus. Spiritus ſancti Templa, divinæ Naturæ participes, Vitam Dei agunt, regnum Cœleſte Vitamq; æternam in Cordibus poſſident ex S. S. Stylo, Fideles. Et hæc vera eſt chriſtianæ Sanctitatis facies, Cœleſtia ſapiunt, & eorum πολίτευμα ὑπάρχει in Cœlis. Omnes ergo vere Fideles quà tales jus habent ad Vitam quod Chriſtus meruit, hiſq; donat, iiſq; hac Spe gloriari licet. Et horum ſalvandorum Caput et Princeps eſt Chriſtus, Salutis ἀρχηγὸς καὶ τελειώτης, qui de Mundo, & Satana Triumphos egit, ille Filios ad Gloriam introducere *ſpopondit*, eiq; Pater hunc in finem dedit Vitam in ſeipſo habere ſuis *ſc.* communicandam, et ex iis quis illi à Patre dati ſunt, qui in illum credunt, ne unum perdet: ſunt Fideles, Eccleſia, Corpus cujus ille Conſervator, hæreditas, peculium quos ſibi emit, Fratres quos ille primogenitus ſanctificat, et ex communis Sanguinis

guinis jure tanquam ſibi proprios vendicat & poſtulat: Jure ergo ad Cœlum inviolando gaudent Fideles, nec eſt quod de eorum Salute dubiam Opinionem foveamus. Hoc Rebus noſtris afflictis ſolamen, hoc Infirmitati noſtræ Sublevamen, quam ſit gratioſum, et quantum, modo quis animo debito & rite exculto hæc ſacra colat et contempletur ſit veræ nobiſq; decoræ Sanctitatis motivum et calcar facile patet. Sunt et hæc Deo tam erga primum hominem quam nos erga lapſos digna, et Fœderi εἰς ἔπαινον τῆς δόξης τῆς χάριτος θεοῦ inito, in quo Gratiæ manifeſtandæ et prædicandæ unice intentus videtur Deus, conſona: non enim jam pro noſtrarum Virium ſufficientia Deo grati ſumus, vel de Salute certi, nec pro illa finem Spei propoſitum conſequimur, noſtra Obedientia non nititur hoc Fœdus, ſed Dei Gratia, noſtroq; filiali Amore et Fiducia. Vide D. *Dailleum* in

Concio-

Concione quinta in Epiſt. ad *Coloſſ.* clare docentem omnes qui Vita ſpirituali gaudent in Regnum Chriſti tranſlati, fide Chriſti membra effici, & ex Dei Voluntate, ut Capiti ſuo conformes reddantur, prædeſtinati, ad Hæreditatem ejus & Gloriam Jus ſortemq; adepti.

XL. Hæc pro juvenili Ætate et tenui ingenio (ex aliis) diximus. Quid reſtat niſi ut ex his quid Officii, nobis peccatoribus quibus ſit Gratia, incumbat, diſcamus. Non peccare cum ſit prima Juſtitia, illi ſecunda, et longo licet intervallo proxima, eſt peccati pœnituiſſe Cum omnis Dei cultus conſiſtat in Honore et Majeſtate, quam illi reddimus, nullus vero eſt Honor, nulla Majeſtas ſine Opinione Bonitatis; nec ullus ſit Fidei præſtantior cultus (quod ex *Chryſoſt.* citat D. *Melancth.*) quam quo nos à Deo diligi perſuaſi ſumus, Dei in Chriſto miſericordiam et Amorem venerabundi humileſq;

contem-

contemplemur. Christus ignotum primo Fœderi Nomen, omniaq; ipsius decora & in genus humanum merita illustriaq; Dei circa Salutem Hominis laborantis consilia, & Opera Deo dignissima, Justitiæ simul & Misericordiæ congrua, & in nostram Salutem aptissima, Fide & obsequio Studio & Veneratione summâ excipienda sunt & colenda. Veri Juris Germanæq; Justitiæ solidam Effigiem in Cœlis non solum cognitione tenendam, sed in nobis revelandam, fide et Spe prosequamur. Et divino munere cujus colendi efficiendiq; Causa renati sumus, et cœlestes auras ducimus, glorioſaq; nostra Spe digna sentiamus semper et faciamus. *Vid. D.* Melanc. *disput. de Fide.*

FINIS.

PUB. OVIDII NASONIS DE *TRISTIBUS* LIBERI V.

Cum ANNOTATIONIBUS minimè rejiciendis.

Ex collatione exemplarium, à quamplurimis mendis purgati.

LONDINI,

Excudebat *B. G.* pro Societate Stationariorum, 1681.